ספר הנפש

Sive

PSYCHOLOGIA
RABBINICA,

Quæ agit de

MENTIS HUMANÆ
NATURA & PRÆCIPUE
EJUS EXTREMIS,

Ex mente

MAGISTRORUM JUDÆORUM
accedit hinc inde Sententia

MOHAMMEDIS & ARABUM



AUCTORE

JOHANNE EGGERO,

Helv. Bernate.





BASILEÆ,

Typis JOH. LUDOV. BRANDMÜLLERI.
M. DCC. XIX.

VIRIS

Doctrinæ pariter ac Pietatis ſolida laude Conſpicuis. Celeberrimis.

JAC. CHRISTOPH. ISELIO, S. Th. D. Loc. Comm. & Controv. in Acad. Baſil. Profeſſori, & Regiæ Gallicæ Elegantiorum Litterarum atque Inſcriptionum Academiæ Socio.

Ut &

JOH. LUDOVICO FREY, S. Th. D. Ejuſdemque in eadem Academiâ Profeſſori Extraord. & Hiſtor. Ordinario.

S. P. D.

EGGERUS.



On indignabimini, ſpero, Viri Excell. *quòd nomina veſtra Auguſta heic præmittere auſus fuerim, poſteaquam intellexeritis, id fieri ſummè æquum, utile, & neceſſarium*

)(2 *eſſe;*

esse. Æquum dico, postulante illo favore & benevolentiâ eximiâ quâ me immeritum tam gratiosè complectimini, ut cum illam satis demereri ob virium mearum tenuitatem non possim, saltem hoc qualecunque perennis meæ observantiæ grataeque mentis publicum exstet monumentum; Immò quid æquum magis, quam ut, qui vestris auspiciis mihi susceptus est, qualiscunque hic labor Vobis *itidem sit sacer, & ut quâ Authoritate, benevolentiâ & Consiliô vestrô juvastis studia eorum primitias gratâ* Vobis *deferam mente. Vtile imò per quam utile mihi est, ut* Vobis, Viri Excell. *hacce mea Conamina inscribam, sic enim ea humillimè vobis trado censenda, & corrigenda, ex quo utilitatis quamplurimum, ad studia mea proporro dirigenda redundaturum est. Necessarium fuit id fieri, cùm ut utilitatem, quam modò mente præcepi assequerer, ad id utique mihi opus est censoribus in hoc studiorum genere eruditissimis, & toto literatorum orbe celeberrimis: Quales* Vos, Viri Excell. *nactus sum, tùm ut scripto huic exiguo aliquod adnasceretur ornamentum & authoritas propriâ planè destituto. Tale*

ipsi

ipsi accedit ex Nominibus Vestris augustis, *quæ fronte præfert, tale præsidium sanè etiamdùm sub prælo sudans anhelabat non ausurum lucem aspicere, si illo destitutum fuisset: Solent qui dedicatorias litteras scribunt laudes Patronorum suorum deprædicare, id & ego nunc facerem* Viri Excell. *nisi magis honori vestro consulerem, nolo enim inconditâ oratione eruditionis* Vestræ *obscurare famam, quæ omnium auribus spontè se ingerit; Id unum precor, velit* Vos, Viri Excell. *Deus T.O.M. diu superstites servare ad incrementum Ecclesiæ & & Academiæ vestræ Patriæ, ad gaudium & solatium omnium illorum qui eximiam vestram eruditionem & pietatem in* Vobis *admirantur. Valete* Viri Excell. *& me amare pergite.*

Dabam Basileæ, Ann. Dom. M. DCC. XIX. die 15. Junij.




Ostquam mihi constitutum fuerat tentare, quid in litteratura Rabbinica valeant humeri mei, quid ferre recusent, id oppidò utilius fore judicavi, si mihi sumerem objectum aliquod fixum & certum, quam si nuspiam non oberrando, studia mea habeant aliquid vagum & instabile: Hoc propositum prosequenti ex occasione illarum Thesium fundamentalium Abarbanelis, quæ exstant in Commentario ipsius in Prophetas priores ad 1 Sam. XXV. quas fortè legendo inveni, statim cogitatio de amplectanda hac materiâ oborta est, idque eò magis, quod viderem, illa quæ Philologiam & Antiquitates Judaicas, spectant, plerumque à multis jamdudum fuisse occupata, non sic autem quæ Philosophiam; Sperans ergo nonnulla tum utilia tum curiosa in eruenda hac Psychologia Rabbinica sese proditura, Hasce Theses fundamentales Abarbane-

banelis tanquam pro Textu in hac Dissertatione posui, eo quod præcipua quæ de hac Materia à Judæorum Magistris disquiruntur in iis continentur, ad quæ reliqua suis quæque locis tanquam explicationis & Commentarii loco retuli; Illas Theses ex Originali Hebraico hic transtuli (Textu Hebr. brevitatis gratiâ ommissô) secutus quantum fieri licuit litteram, hinc factum ut stylus minùs sit Latinus ad Hebraismum accommodatus, similiter versatus fui in versione reliquorum locorum Rabbinicorum, quæ in decursu Dissertationis mihi passim pleraque Hebr. sermone citantur; nonnulla autem ex iis, quæ faciliora non interpretatus fui, pauca Latinè tantùm posui, ut quæ sunt ex More Neboch. à Cel. Buxtorfio translato, in quibusdam locis Textum Hebraicum abrupi, contentus versionem integram loci apponere: Hæc citata autem præcipuè ex Menasse ben Israëlis Tractatu נשמת חיים sive *de immortalitate animæ* ex R. Schem Tof libro נפש החכמה *de anima sapien-*

pientiæ ut & R. Mosis bar Nachman שער הגמול s. *Porta retributionis*, ut patet ex lectione scripti, transsumsi, adspersis hinc inde prout ferebat occasio brevibus stricturis; Sententiam Mohammedis & Arabum alicubi etiam apposui ut quæ in nonnullis planè eadem cum Rabbinorum, & fortè inde etiam derivata fuit. Plurima hisce addi potuissent, & majori cum accuratione disposita, ad hanc materiam perfectius exhauriendam, sed cogitabit B. Lector, ad id operis peragendum requiri in hac litteratura Magistrum, non verò Tyronem, qui, se commodi quid Reipublicæ litterariæ illaturum, minimè præsumit, sed exercitii tantùm gratià, & ut iis, quorum id scire interest, studiorum aliquod exhibeat specimen, scribit. Vale Lector B. & conatibus nostris fave.

PSYCHO-



PSYCHOLOGIA RABBINICA

DE

Mentis Humanæ natura & præcipuè ejus Extremis.



PRæclarum eſt effatum Abigaelis Nabalis (qui nomine & omine Stultus & mentis emarcidæ homo erat) uxoris ſapientiſſimæ, quod exſtat in oratione ſua habita àd Davidem, & legere eſt, 1 Sam. XXV. v. 29. his verbis:

ויקם אדם לרדפך ולבקש את נפשך והיתה נפש אדני צרורה בצרור החיים את יהוה אלהיך ואת נפש איביך יקלענה בתוך כף הקלע׃

Et cum ſurrexerit homo ad perſequendum te & quærendum animam tuam, tunc erit anima Domini mei ligata in faſciculo viventium Jehovæ Dei tui anima autem inimicorum tuorum agitabitur in medio volæ fundæ.

Don Iſaack Abarbanel Theologus & Philoſophus Judæorum famigeratiſſimus, ſicuti integram orationem Abigaelis ad Davidem duobus modis explicat in

A Com-

Commentario in Prophetas priores, ita etiam hunc versum in specie. De utroque modo postea subjungit esse illos אופנים נאים מאד *Modos elegantes admodum*, rectè autem priorem modum explicandi posteriori præcellere affirmat, quoniam illa bona quæ Davidi eventura prædicit de vita Cælesti intelligit, non autem terrestri & caducâ hâc: Quod modùm concernit alterum, quem minùs probat Abarbanel, & qui sensum sequiorem illorum verborum exhibet. Ita eum exponit author modò laudatus, ut dicat in tota sua oratione Abigaelem usam fuisse, quatuor argumentis, quibus Davidem à cæde Nabalis conjugis sui avocaret, in hoc autem versu tertium horum argumentorum contineri. Cujus vis in hoc sita est, quod, cum David ingenti nunc expositus sit periculo, & diu noctuque in discrimine vitæ versetur, ob furorem Saulis, ipsum utique deceat in hisce rerum circumstantiis constitutum ut sibi temperet ab omni cæde id si facturus hoc commodi dubio procul ad ipsum redundaturum, ut, cum surrexerit homo, (intelligit præcipuè Saulem) ad eum persequendum, simili misericordia usurus sit Deus benedictus erga eum, eumque cum Viventium fasciculo sit colligaturus, nec passurus unquam ut in hocce bello victus succumbat sic enim loquitur author ad illa verba. *Et erit anima, &c.*

ר״ל שיצילהו השם מידו וישמור את נפשו והוא צרור החיים אשר זכר כלומר שישמור אותו ממות וכו׳

i. e. *vult dicere quod Deus eum erepturus sit è manu ejus (scil. Saulis) & custoditurus animam ejus, & hic est ille fasciculus viventium, cujus mentionem facit, quasi diceret, quod eum custoditurus sit à morte.* Et è contra intelligi per id quod dicitur & hostes Domini mei agitabuntur, quod Saul quidem eum per-

perſecuturus ſit, ſed in vanum, & hoc ſibi ipſimet in pœnam futurum, ut vagabundus errare cogatur in omnibus montibus non inveniens requiem plantæ pedis ſui; Verum ſententia altera, quæ conſenſu Abarbanelis magis probanda, eſt illa, quæ hæc bona quæ Davidi eventura prædicit mulier fatidica, de ſeculo futuro intelligit animam nimirum Davidis in conſortio beatorum æviternùm Communione Dei & inde reſultantibus bonis immenſis fruituram. Quam Communionem Dei dicit eſſe הצרור והדבוק האמתי לנפש *illud faſciculum & conjunctionem veram animæ cum Deo*, & quæ alia ibi tradit. Hiſce ita expoſitis ex hoc verſu ſupra allegato ſeptem radices ſive theſes fundamentales de anima hominis & ejus ſtatu poſt mortem deducit, quas nunc ordine ſubjungemus.

THESIS FUND. I.

QUod anima intellectualis ſuperſtes manet æterna inter reliquas (I.) partes animæ. Nam cum concedamus eam eſſe Subſtantiam, inde ſequitur eam eſſe incorruptibilem, quandoquidem ipſi nullæ ſunt cauſæ corruptionis. Neque Innovatio intellectus eſt & ejus Eſſentiæ, ſicut eſt in reliquis formis & innovatione earum, ideo æternitas ab eo non prohibetur. Et hoc contrarium planè eſt ſententiæ Epicuri credentis (II.) animam conſumi & corrumpi cum corruptione corporis. Sed hanc noſtram theſin jamjam confirmavit Salomo, ע״ה, cum dicit: *Et revertitur pulvis in terram ſicut erat. Et Spiritus ad Deum qui eum dedit.* Ubi attende, quod de pulvere dicat ſicut erat, non autem de Spiritu hujus rei cauſa ſecundum me quidem eſt, quod per legem & præcepta perficitur pars illa anima, & in ea mer-

 cedem

cedem ſuam recipit poſt mortem. Non ſic autem corpus, quia illud nullo modo perficitur, quia pulvis eſt, & in pulverem revertetur. Et ideo dicit de eo ſicut erat vult dicere, in eadem diſpoſitione & gradu, in quo erat ante Creationem, ſed ſic non eſt de Spiritu qui revertitur, verum non ſicut erat, ſed magis perfectus & diſpoſitus ad recipiendam mercedem aut pœnam. Et in Tract. Schabb. dicunt, (ad hæc verba) *ad Deum qui eum dederat.* Rede eum ipſi ſicut tibi antea dederat. Qui hoc? In puritate, ſic & tu in puritate (reddas.) Et in Medr. Kohelet exponunt ad verba *& Spiritus revertitur.* Quando? Tunc cum revertitur pulvis in terram ſi dicas non, diſce ex eo: *Et anima hoſtium tuorum,&c.* putant reverti corpus in terram ſine pollutione peccati, ſicut fuit in Creatione. Tunc revertetur Spiritus ad Deum & Intellectus erit æternus & vivens. Hoc ſapiens illa mulier innuit cum dicit: *Et erit anima Domini mei ligata, &c.*

NOTA I.

Cum hic author Partium animæ mentionem faciat ſciendum eſt Rabb. more Scholaſticorum diſtinguere in homine triplicem animam de hoc agit Men. ben. Iſr. lib. 2. c 15. libri ſui quem inſcripſit. נשמת חיים ſic ibi. ſtatim ab Initio inſit.

דע שנפש האדם היא אחרת ויש בה ג׳ כחות הצומח אשר לבעלי הנפש הצומח׳ המתאו׳ אשר לבעלי הנפש הבהמי׳ והכוח המשכיל היא הנפש החכמה וכו׳

i. e. *Scito animam hominis unicam eſſe, ſed in ea ſunt tres facultates. Vegetativa, quam habent Entia prædita anima Vegetat: Senſitiva, quam habent Entia prædita anima beſtiali, & facultas intelligens, quæ eſt ipſa anima ſapiens.* Hanc diſtinctionem & differentiam quæ inter tres haſce facultates intercedit, comparat Maimonides alibi cum Luce Candelæ, Lunæ & Solis quando locum ali-

quem

quem illuſtrant. De hac diſtinctione multa apud Rabb. ut apud R. Moſche Schem Tof in libro נפש החכמה parte prima, &c. Sed aliam diſtinctionem habet idem author ibidem ex Sacris litteris deſumtam, his verbis:

הנפש נחלק לשלשה חלקים מתיחדים באחדותם ואע״פי שנראים מוחלקים בחלוק שמותם והם סוד אחד נפש רוח נשמה שלשה אלה הם רוחות של מעלה והאדם נכלל מהם וכו׳

i. e. *Anima dividitur in tres partes coadunatas conjunctione ſua, & quamvis videantur diviſæ diſcrimine nominum ſuorum, attamen Secretum unum faciunt* נפש רוח נשמה, *Tria hæc ſunt Spiritus ſuperiores, & homo ex eis compoſitus eſt.*

Infra autem oſtendit, quomodo hæ partes inter ſe diſtinguantur notando rationem & reſpectum quem ad invicem habent, & cum locutus fuiſſet de prima parte נפש cui ſedem ſuam in ſanguine aſſignat. Sic pergit:

כח זה הוא כח קיום הגוף והרגשותיו הרוח הוא כח המקיים את הנפש להתקיים בגוף כי אין קיום הנפש זולתי בכח הרוח בעניין הרוח הנושבת ובסבת הרוח האדם מתקיים בכח הנפש ההיא ובהמוט הרוח מן הנפש זא סבת המות כי אין הנפש יכולה להתקיים בגוף הנשמה הוא עניין השכל האמתי אשר ממקור החיים נחצבו ממעין השכל החכמה וכו׳

i. e. *Hæc facultas (intellige* נפש*) eſt facultas per quam ſubſiſtit corpus & ſenſationes ejus,* רוח *eſt facultas ſuſtinens facultatem* נפש *ut in corpore ſubſiſtere poſſit, nam ſubſiſtere nequit* נפש *niſi per facultatem τῦ* רוח *eo quod* הרוח *illam inſpirat (afflat.) Et propter* רוח *homo ſubſiſtit in facultate illius* נפש *cum autem dimovetur* רוח *à* נפש *hæc cauſa exiſtit mortis, nam* נפש *non poteſt ſubſiſtere in corpore (ſola.) Et* נשמה *eſt intellectus ipſe qui è fonte vitæ abſciſſus, ex fonte intelligentiæ & ſapientiæ, &c.*

Simili fermè modo de his agit AbenEſra, in Comment. ſuo ſuper קוהלת cap. 67. cùm dicit:

ויהי שם הנפש המתאוה לאכל ולשמוח וחשק המשגל נפ ש ויהי שם נפש בעלת ההרגשה המבקשת שררה וגדולה רו״ח ויהי שם נפש בעלת החכמה נש״מה גם כן חלקם ר׳ סעדיא גאון ז״ל

וידוע

,וידע כי כשתגבר הנפש תחלש הנשמה ואין לה כח לעמוד לפניה בעבור היותה גוף וכל יצריו עוזרים אותה על כן המתעסק באכילה ושתיה לא יחכם לעולם·

i. e. *vocatur autem illa pars animæ quæ appetit edere & lætari & desiderat concubitum :* נפש *Illa autem pars quæ prædita est sensatione & quærens Principatum & Magnitudinem* רוח *illa autem pars quæ pollet sapientia,* נשמה. *Sic etiam eos divisit R. Saadia Gaon b. m. Notum autem est quod quando pars dicta* נפש *invalescit infirmatur pars dicta* נשמה *nec consistere potest coram ea, quia corpus & omnes concupiscentiæ ejus ipsi succurrunt. Ideò qui operam dat esui & potui : Non sapiens evadet in æternum.*

Sententiam R. Saadiæ de his tribus nominibus & aliis duobus nimirum חיה. & יחידה quibus anima in S S. nominetur additis exponit etiam Men. ben. Isr. lib. 2. c. 15. Suamque sententiam postea his verbis adjungit :

ומה שנראה לי שנקראת בשם נפש בבחינת הכח הצומחת וכו'

i. e. *Quod autem mihi videtur puto eam vocari* נפש *respectu facultatis vegetativæ* רוח *respectu facultatis vitalis & sensualis,* נשמה *respectu animæ intellectualis. Veruntamen vocatur* חיה *eo quod est æterna & consistit in æternum nec perit in corruptione corporis. Et* יחידה *Quia sola omnes illas facultates possidet sicut arguimus.* Hæc quinque nominia animæ tribui existimat idem author propter quinque voluptates, quas illa percipit toto tempore existentiæ suæ, quarum 1. contingat, tunc quando sub throno gloriæ adhuc latet 2. quando corpori inseritur in utero Matris 3. postquam in lucem edita est usque ad mortem 4. post mortem cùm ad requiem suam ascendit 5. denique tempore resurrectionis mortuorum, vide citatum cap. 15.

Quod definitionem animæ attinet passim apud Rabb. extant, insigniores collegit Men. ben. Isr. cap. 4. lib. 2. Ut illam R. Saadiæ. AbenEsræ, Maimonidis. Zerachiæ hallevi. R. Chasdai, Nachmanidis. Unam vel alteram allegasse sufficiet ; Maimonides in Halichot Jesode Tora.

נור

נזר שהנפש צורת בלא גולם ולא גוף אבל זוהר ונזירת ממקור הדעת ואינה צריכה לגוף ולפיכך בישאבד הגוף לא תובד אלא עומדת בעצמה וקיימת כמו מלאך ונהנית באורו של עולם והוא הע״הב׃

i. e. *Definit quod anima est forma expers massæ & corporis sed est splendor & derivatio ex fonte scientiæ, nec opus habet corpore. Idcirco pereunte corpore non perit, sed per se ipsam subsistit, & remanet Angeli adinstar & fruitur luce seculi quod est seculum futurum* Ramban. in Schagnar Hagg. sic habet:

היא קבלת ר״זל שהק״בה בורא נפשותהן של צדיקים והם בלי ספק רוח זכה ודקה ביותר אינה גוף ולא נגבלת ולא נגררת במקום וכו׳

Suam definitionem ad finem author subnectit, dicens: esse substantiam separatam à materia creatam sex diebus creat: ad apprehendendum pe fectionem suam, &c. Comparationem instituere etiam solent Rabb. inter Deum & hominem, v. gr. sicut Deus implet totum mundum. Ita anima totum corpus, sicut Deus videt nec videtur ita anima, in quibus analogiis Imaginem Dei in homine quærunt, de quibus præcipuè in Tract. Beracot.

II.

Notum est Sadducæos olim etiam in hac sententia fuisse ex male intellecto præcepto Antigoni Sochæi Magistri sui, quod exstat in Cap. Patrum, Cap. 1. Sect. 3.

אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרס ויהא מורא שמים עליכם׃

Eos passim refutarunt Rabb. veram sentiam Antigoni astruendo, prout id etiam fecit Abarbanel in suo קיצור על פרקי אבות׃ S. Commentario super Cap. Patrum, duobus modis ibi vult intelligi posse hoc præceptum, vel ut mens ejus sit illos in obedientia legis non exspectare debere remunerationem corporalem in hac vita, sed præcipuè Spiritualem vel æternam post illam, vel quod magis ad rem, non ex ingenio servili

vili, ſed amore Filiali Deo ſerviant quod ſic enuntiat.

ועוד יש לפרש אל יהא כוונתו בעת עשייתו המצו׳ לקבלת שכר תחת עבודתו כמו העבדים הפחותים שעיקר עבודתם לרבם היא בשביל לקבל שכרם אל יעשה הוא וכו׳

i. e. *Aliter adhuc explicari poteſt*, nim. *Ne ſit intentio ejus eo tempore cum facit præcepta, ut accipiat mercedem pro ſuo cultu, ſicut illi ſervi abjecti quorum ſervitùs fundamentum unicè eſt, ut accipiant mercedem ſuam. Ne ille ſic faciat in cultu Dei, Jamdudum enim obligatus eſt ad Cultum Dei, propter ejus benignitatem, quàm Deus ei fecit à die nativitatis ejus, ſi autem res ita ſe habet utiq; ille obligatus eſt Deo ſervire ſine receptione mercedis. Et hoc eſt quod dicitur in altera parte ſententiæ, ſed ſitis ſicut ſervi qui non, &c. Et timor Cœli ſit ſuper vos. v. d. Timor Dei, qui Cœlos movet; vel aliter, Ut timeatis Deum, v. ſine intuitu ad mercedem prout Cœli S. orbes cœleſtes, qui circumagitantur, & faciunt voluntatem Dei ex timore ejus ſine mercede*, hactenus Abarb.

THESIS FUND. II.

QUod Remanentia illa animæ ſit ſeorſim in individuo, neque adunentur animæ poſt egreſſum ex corporibus ſuis, ita ut adhæreſcant & conjungantur cum intellectu operante, ſicut id exiſtimarunt multi Philoſ. ſed unaquæque anima ſuperſtes eſt ipſamet ſeparata, & quamvis numerus, & pluralitas, & particularitas in rebus quæ hic (in mundo iſto exiſtunt) ſe habeat ſecundum materiam & accidentia, nec intelligatur numerus in rebus abſtractis, ecce diverſæ ſunt animæ ſecundum merita, & intelligentias ſuas; ſicut dicitur de intellectibus ſeparatis, etiam juxta ſententiam dicentis, quod eorum concatenatio non ſit ad modum cauſæ & cauſati, quod nihil-

nihilominus illi multi ſunt & diverſi, & jamjam hoc fundamentum explicarunt ſapientes veritatis; dicunt in cap. השוכר את הפועל Raba explicat & dicit, tradit Raf. Joſeph. Quid eſt quod ſcriptum eſt: *Ponis tenebras & fit nox*, hoc eſt ſeculum ſimile nocti. *In eo repunt omnes feræ ſylvæ.* Hi ſunt impii, qui in eo ſimiles ſunt feris, *Oritur Sol & congregantur.* Oritur Sol juſtis & congregantur impii. *Et in latebris ſuis cubant.* I. Ibi ne unicus eſt juſtus cui non ſit habitaculum proprium ſibi ipſi. *Egreditur homo ad opus ſuum.* Illi ſunt juſti, qui egrediuntur ad recipiendam mercedem ſuam. *Et ad laborem ſuum usq; ad veſperam*, quia perfecit laborem ſuum uſque ad veſperam. Ecce dicunt unumquemque juſtum habiturum gradum diſtinctum & ſeparatum in ſeculo animarum. Et id innuit Mulier illa timens Deum, cum dicit: Et erit anima Domini mei ligata, v.d. anima ejus particulariter & in individuo.

NOTA I.

De his multus admodum eſt Men. Ben. Iſr. Lib. 1. Cap. 10. Ubi ſeptem Turmas vel ordines beatorum ſtatuit totidem beatitudinis gradibus ab invicem diſtinctas, de quibus dictum ſit, quod exſtat Dan. 12.

והמשכלים יזהירו כזוהר הרקיע כחמה וכלבנה ככבבים וכברקים וכשושנים וכלפידים·

i. e. ***Et intelligentes ſplendebunt ut ſplendor expanſi, ut Sol & Luna, ut Stella & Fulgura, ut Lilia & Lampades*** **de ſeptem ordinibus ita pergit poſtea.**

והכת הראשונה יושבת לפני המלך ורואה את המלך ואת הפנים וכו׳

i. e. ***Et ordo primus ſedet coram Rege & eum videt & facies, ſicut dicitur ſedebunt recti coram facie tua. De ordine ſecundo*** **dicitur:** ***Beati ſedentes in domo.*** **De Tertio,** ***Quis aſcendet in montem Dei.*** **De Quarto:** ***Beatus quem elegiſti & admoviſti ut habitet in atriis tuis.***

B De

De Quinto: *Jehova, quis peregrinabitur in tentorio tuo.* De Sexto: *Quis habitabit in monte Sanctitatis Tuæ.* De Septimo: *Et quis stabit in loco sancto ejus.* Hactenus author citatus, quibus subjungit:

וכל כת וכת יש לו מדור בפני עצמו בגן עדן

i. e. *Et quilibet ordo habet mansionem particularem in horto Edenis.* Cum septem gradibus sanctitatis in terra Jsr. comparat illos gradus, nam dicit idem scripturam dicere de S. Pontifice in S. Sanctorum Intrante, quod de primo gradu beat. in Cœlo vide supra. De Sacerdotibus, qui sunt in Atrio Sacerdotum idem quod de secundo ordine. De Israëlitis in Atrio suo idem quod de tertio ordine, & sic deinceps.

Sed sicut septem ordines diversos statuunt ita unicuique individuo singularem suam gloriam attribuunt. De his author. cit. postquam idem ex Psal, 104. adduxit. Ita pergit:

אין כל צדיק וצדיק שאין לו מדור בפני עצמו וכראשון ממגילת א״ר אלעזר בר חנינא עתיד הק״בה לעשו׳ עטרא לכל צדיק וכו ובבבא בת״ פ׳ המוכר את הספי׳ אמר רבא עתיד הק״בה׳ לעש׳ שבע חופות לכל צדיק וצדיק וכו׳ ובשבת פ׳ השואל אמרו כי הולך האדם אל בית עולמו א״ר יצחק מלמד שכל צדיק וצדיק עושים לו מדור כפי כבודו וכו׳

i. e. *Non est ullus justus cui non sit habitatio particularis: primò Megilla capite dicit Rabbi Eleazer filius Chanina: Deus Benedictus facturus est unicuiq; justo coronam, &c. Et in Bava batra capite Hammoker & hass: facturus est Deus bened. unicuiq; Justo septem Thalamos, &c. Et in Schabbat cap. Hascholel, dicunt quia abit homo ad domum seculi sui, dicit R. Isaack hoc docet, quod facturi sint unicuiq; justo habitationem secundum gloriam ipsius, &c.*

THESIS FUND. III.

QUod illa Remanentia non sit secundum Intelligentias & Scientias speculativas, sicut multi Philosophi Nostrates id existimarunt. Sed hanc sententiam jamjam refutavit Rabbi Chasdai B. m. in libro suo. Et R.

R. Schem Tof prolixè de hac re egit in libro suo כבוד אלהים (Deus ei retribuat operam suam) Verum illa (scil. remanent:) est secundum legem & præcepta & opera, quæ sunt accepta coram Deo bened. Et jam olim hoc explicuit David, super eum sit pax, cùm dixit: *Beati perfecti viâ ambulantes in lege Dei beati custodientes testim. ejus. Et non operantes iniquitatem, &c.* Vult dicere: Beatitudinem & prosperitatem veram esse in consideratione legis divinæ, & in observatione præceptorum ejus, & recessione à præceptis negativis, & jamjam hanc veritatem asseruerunt Sap. Just. nostri in Mischna. I. Omnis qui facit unicum præceptum ei benefit. Et in Gemara hanc bonitatem exponunt, & dicunt esse bonum illud absconditum justis, & dicunt eorum, qui tradunt animam suam propter sanctitatem Dei, gradum in mercede spirituali esse admodum magnum, cum dicunt; quod attinet II. interfectos Lud nemo hominum consistere potest intra sepimenta (conditionem) eorum. Et in Tractatu Batra dicunt, quæsiverunt ex Schelomo, quis est qui Consors est III. futuri seculi, dixit eis, illi de quibus scriptum est, *& coram senioribus suis gloria.* Quia hoc est illud רז Raf Joseph filii R. Simeon ben Levi, &c. Et omne id monstrat, retributionem spiritualem non pertinere ad scientias theoreticas, sed ad præcepta Divina. Hocque innuit magna illa mulier cum dicit: *Quia bella Jeh. Dominus meus gerit*, hoc pertinet ad observationem præceptorum. *Et malum non inventum est in te omnibus diebus tuis*, hoc de recessione à transgressionibus. *Et si surget homo ad persequendum te.* Id sunt Castigationes perficientes, & respectu justitiæ omnium horum dicit: *Et erit anima Domini mei lig. &c.*

 NO-

NOTÆ I.

Ex his patet secundum sententiam authoris justos post hanc vitam retributionem secundum opera recipere sine prævia aliqua expiatione vel purgatione in aliquo loco intermedio torturæ. Sunt tamen alii Judæorum Magistri, qui aliquod purgatorii animarum Genus fingunt, quod etiam ignem Gehennæ appellant, ita ut statuere videantur nullam animarum ad beatas mansiones admitti, nisi exacto priùs certò temporis spatio in gehenna de hoc agit R. Schem Tof. in libro נפש החכמה parte secunda.

קצת מבעלי החכמ' אמרו כי הנשמ' היא בעולם הזה במאסר הגוף ומתלכלכת בלכלוך הגוף וכשהק"בה רוצה להעביר לכלוכם ממנה ולטהרה איננה רוחצת אלא באש והוא אש של גהנם

i.e. *Nonnulli ex sapientibus dixerunt animam in hoc seculo esse in vinculo corporis, & inquinatam ex inquinatione corporis, cum autem Deus benedictus vult demere ipsi hanc inquinationem eamq; purificare, lavari nequit nisi per ignem, & hic est ignis Gehennæ.* Non autē eam purificari posse nisi per ignem, simili illustrat posteà desumto, à certo quodam genere lintei quod conficiatur ex lana Salamandræ animalculi muri simile in fornacibus vitriariis degentis, quod linteum neque lavari vel mundari possit nisi per ignem, hinc à Minori ad Majus árgumentatur.

הנשמה שהיא ממש תולדת האש וממקום האש על אחת כמ' וכמ' שאין טהרתה מלכלוכה אלא באש.

i. e. *Anima autem cum insolidum progignatur ex igne, & ex loco ignis. Quanto magis ergo, aliter purificari nequit, ab inquinamento suo nisi per ignem.* Negant alii dari ejusmodi purgatorium vel locum tertium, de quò multus est Men. ben. Isr. lib. secundo cap. 23. Sic dicunt in Elleschemot Rabba.

מי שהוא משמר את התורה גן עדן לפניו ומי שאינו משמר את התורה גהנם לפניו

Huc facit quod tradunt in Capite præcat. matudinæ. de R. J. ben, Saccai.

בשעת פטירתו של ריב״ז נכנסו תלמידו לבקרו כיון שראה אותן התחיל בוכה וכששאלו: ממנו רבינו למה אתה בוכה אמ׳ להם אילו לפנ׳ מלך בש׳ וד׳ היו מוליכים אותי וכו׳ ולא עוד אלא שיש לפני ב׳ דרכים א׳ לג״ע וא׳ לגהנם ואינו יודע באיזה מהם מוליכי׳ אותי ולא אבכה! הרי לך שלא הזכיר מקומות אחרים כאשר חשבו חכמי אומות העול׳ הנקראים אצלם לימבו ופורגטוריאו וכו׳

i. e. *Tempore discessus ex hoc mundo ipsius R. Jochanan ben Saccai. Ingressi sunt ejus discipuli ad eum visitandum, statim autem ac eos vidit flere incepit. Interrogantibus eum Domine noster quare fles, dixit eis, si coram Rege Carnali,*&c. *me ducerent,*&c. *Sed non hoc est verum quia coram me sunt duæ viæ una ad Paradisum, & altera ad Gehennam nec scio ego utrâ ex iis me adducturi sint, quare ergo non flerem. Ecce hinc vides eum non mentionem facere aliorum locorum sicut putarunt sapientes Gentium* (Pontificios præcipuè notat) *quæ (loca) ipsis vocantur Limbus & Purgatorium*, &c.

Ex sententia R. Schem Tof modo proposita patet omnino nonnullos Rabbinos revera existimasse omnibus vel justissimis aliquod temporis spatium in Gehenna transigendum esse. Nec ab hac sententia abhorret valdè quod legitur in Tract. Chagiga.

אמר ר׳ אליעזר׳ תלמידי חכמים אין אור של גיהנם שולטת בהם קל וחומר מסלמנדרא ומה סלמנדרא שתולדות אש אין אור שולט׳ בה תלמידי חכמים שכל גופן אשעל אחת כמה וכו׳

i. e. *Dixit R. Eliezer ignis Gehennæ nihil poterit in discipulis sapientum, probatur hoc à majori ad minùs per Salamandram. Nam si Salamandra quæ progignitur ex igne, ignis non dominatur, quanto minùs dominabitur discipulis sapientum.*

Omnino videtur mentem hujus loci esse sentire equidem ignem Gehennæ sanctos Magistros suos, non tamen hinc nec corpora nec animas eorum, exuri prout de Impiis id existimant saltem ex his & aliis Raymundus Martini præsidium pro afferendo Limbo Patrum ex Consensu Rabbinorum sibi invenisse videtur, vide reliqua, ut v. gr. de illis אלהים quos Phythonissa

 Endo-

Endorea è terra aſcendere vidit,apud citat. Authorem in Pugione fidei, Part.III. Diſt.II. cap. 8.

Theologi Arabum ſicuti pleraſque quas habent ſententias fabuloſas à Magiſtris Judæorum mutuo ſumſerunt. Et hanc de Juſtorum commoratione in Gehenna inde acceperunt, id patet ex iis quæ habet Author Compend. Theolog. Mohammed. apud Relandum.

ומנהם מן ידכ׳ל אלנאר מן אלמומנין לא כ׳אלד פיהא בל ידכ׳ל
אלג׳נה בעד מא יעד׳ב עלי קדר גרמה לאן אלמומנין פי אלג׳נה
יכ׳לדון אבדא ואלקאפרון פי אלנאר יכ׳לדון אבדא

i. e. *Quidam ex fidelibus ingredientur in infernum, ſed non in eo æternùm manebunt, ſed ingredientur in hortum. Poſtquam punitus fuerit ſecundum quantitatem criminis ſui; deinde fideles in Paradiſo permanebunt in æternum. Infideles autem in igne permanebunt in æternum.*

Imò hæc ſententia videtur eſſe ipſiſſima Orthodoxorum inter Arabes, uti eos vocant qui Al Aſhariani dicuntur, qui volunt Deum hominem graviter peccantem, & ſine pœnitentia è mundo exeuntem punire juxta menſuram ſceleris ejus.

ת׳ם ידכ׳לה אלג׳נה ברחמתה

i. e. *Poſtea admittat eum in Paradiſum pro ſua miſericordia.* Alia adhuc citat Celeberr. Pocockius in Notis ad Hiſt. Abulfarag: p. 257. & ſeqq.

Huic ſententiæ etiam ſuffragatur fabula quam Orthodoxi inter Arabes tanquam articulum fidei proponunt in ſua Confeſſione fidei, quàm in Notis modo author laudatus Arabicè & Latinè exhibet, p. 282.

Fabula eſt *eſſe* אלצראט חק והו גסם ממדוד עלי מתן גהנם *reverà viam, quæ ſit corpus extenſum ſuper medium Gehennæ*, quod corpus acutius gladio ſit & ſubtilius pilo, per hanc viam ducendos omnes homines. Infidelium pedes lapſuros ut in ignem decidant ex Decreto Dei, fideles autem firmo pede tranſeuntes, in domum æternam deductum iri, poſteaquam ex Piſcina Mohamedis ad quam aquatum deſcendant biberint.

Sic etiam author Ketabo Reſalat: ſententiam modò propoſitam confirmat.

ומן

ומן עאקבה בנאר אחרגה מנהא באימאנה ואדכלה פי גנתה

i. e. *Quem igne punit* (fidelium) *educit eum ex eo propter fidem ejus & introducit eum in hortum ſuum.*

Imo locus in ipſo Corano exſtat Surat. vigeſima nona, ubi ſic habet Pſeudopropheta.

ואן מנכם אלא ואדדהא כאן עלי רבך חתמא

i.e. *Et nullus eſt ex vobis qui non deſcenſurus ſit in eam Gehennam, & hoc apud Dominum tuum eſt decretum.*

Et hæc ſententia planè eadem eſt quæ Pontificiorum de Purgatorio & Limbis, quod patet ex Surat. ſeptima, quæ conſcribitur אלאעראף ſive de Limbis, quorum in illo capite mentio fit, verſu. 44. & ſeqq.

ובינהמה חגאב ועלי אלאעראף רגאל יערפון כלה בשימאהם ונארוא אצחאב אלגנה אנ שלאם עליכם לם ידחלוהא והם יטמעון:

i. e. *Et inter eos* (ſcil. beatos & damnatos de quibus antea) *eſt velum & ſuper Araph.*(Limbos)*ſunt Viri qui cognoſcunt omnes ſignis eorum & compellant ſocios Paradiſi, ſalus ſit vobis: verum non ingrediuntur in eum, quamvis id diſcupiant.*

Verſibus ſeqq. deſcribit quid loquantur etiam cum damnatis quod curioſus Lector ipſemet ſi lubuit inveniet. Hinc etiam eſt quod nonnulli Pontificiorum ex hoc ipſo loco doctrinæ ſuæ de Purgatorio & Limbis præſidium adducant, prout etiam ex ſcriptis Gentilium, numerô non argumentorum pondere certare aſſueti.

Veſtigium aliquod de Limbo in ſpeciè infantum exſtat apud Arabum Theologos in Authore libri Al Mavvakef Et Alſephadio in Commentario ad Tograi Poema Citante hoc Celeber. Eduardo Pocockio in Notis Doctiſſimis ad Hiſtoriam Abulfaragi, p. 230. Ubi interrogatus Al Jobbaienſis Sectæ Al Jobbaſiorum Author de tribus fratribus, quorum primus עאש פי אלטאעה *Vixit in inobedientia erga* D. Secundus פי אלמעצירה *in rebellione* tertius מאת צעירא *mortuus eſt parvulus*, quid de eorum

ſtatu

ſtatu ſentiret, reſpondit, primùm remuneratum iri in Paradiſo, ſecundum in Inferno punitum, tertium nec prœmium nec pœnam manere.

II.

Summum gradum felicitatis tribuunt Rabb. illis qui interfecti fuerunt in perſecutionibus præcipuè per Romanos, & eos ea propter vocant הרוגי מלכות *interfecti à Regno* quod appellant, הרשעה impio ſcil. Romano.

De his Rambam in יסודי תורה cap. V. §. 5.

כל מי שנאמר בו יהרג ואל יעבור ונהרג ולא עבר הרי זה קדש את השם ואם היה בעשרה מישראל הרי זה קדש את השם ברבים כדניאל חנניה מישאל עזריה ור' עקיבה וחבריו ואלו הן הרוגי מלכות שאין מעלה על מעלתן ועליהם נאמר כי עליך הורגנו וגו'

i. e. Ex Interpret. Cel. Vorſtii, *Cuicunq; dictum eſt ut permittat ſe occidi & non peccet*, [Vel potius de quocunque dicitur, occidatur potiùs quam ut tranſgrediatur præceptum.] *atq; occiſus fuerit, neq; deliquerit certè ſanctificavit nomen Dei, & ſi fuerit coram decem Iſraëlitis tum ſanctificat nomen Dei publicè, ſicut Daniel, Chanania, Miſaël, Aſaria, atq; uti R. Hakiba, ejusq; ſocii qui occiſi fuere à regno, non eſt ſuperior gradus illorum gradu, ac de iis dicitur*, propter te occiſi ſumus omni die, æſtimati ſumus tanquam oves mactationis, &c.

Hinc etiam in Jalkut citante Men. ben. Iſr. lib. 1. cap. 10. è ſeptem illis Palatiis Paradiſiacis primarium ipſis interfectis à Regno pro ſua manſione vindicant, cum dicunt:

ובתוכו שבעה בתים של צדיקים ראשונה הרוגי מלכות כגון ר'עקיבא וחביריו וכו

i. e. *Et in medio ejus ſunt ſeptem illæ domus juſtorum. Prima pro interfectis Regni ſicut R. Akiba & ejus ſocii.* 2. *Pro ſubmerſis in mari.* 3. *Pro R. Jochanan ben ſaccai & diſcipulis ejus.* 4. *Pro illis ſuper quos deſcendit nubes eosq; texit.* 5. *Pro reſipiſcentibus*, &c. 6. *Pro Cælibibus, qui non guſtarunt guſtum peccati omni vitâ ſuâ.* 7. *Pro pauperi-*

pauperibus qui operam dant Scripturæ & Talmudi, eisq; conjungunt opificium.

Sicut autem iis Martyribus primum locum in Paradiſo, ita è contra infimum in Gehenna aſſignant illis qui voluntariè ſe injuſtè occidendos tradunt, de hoc Maimon. in Jeſode Tora, cap. V. §. 7.

אבל אים יכול להמלט נפשו ולברוח מתחת יד המלך הרשע ואינו עושה הנה הוא ככלב שב על קיאו והוא נקרא עובד עכ״ום במזיד והוא נטרד מן העול׳ הב׳ ויורד למדרגה התחתונה של גהינם׃

i. e. *At ſi quis poterit animam ſuam eripere, & effugere è manu Regis impii, & non facit, ſanè hic tanquam canis revertitur ad vomitum ſuum & vocatur ſervus voluntarius Idololatriæ, atq; ejectus eſt à futuro ſeculo, & deſcendet ad infimum gradum Gehennæ.*

Sicut autem prout modo vidimus Rabbini ſuis Martyribus ſummum gradum gloriæ tribuunt. Ita etiam olim promiſit Mahomet illis qui pro fide ſua propaganda gladio decertarent ſingularem remunerationem à Deo conſequendam & ſummum gloriæ gradum, cum dicit Surat. Nona quæ eſt de converſione, verſ. 20.

אלדין אמנוא והאגרוא וגאהדוא פי סביל אללה באמואלהם ואנפוזהם אעטם דרגה ענד אללה

i. e. *Illis qui credunt, & fugiunt ob perſecutionem* (vel Prophetam committantur in ſua fuga ab urbe Mecca, ab hac voce enim derivatur Hegira) *& decertant pro via Dei* (vel Religione) *bonis ſuis & animabus ſuis.* Illis *ſummus* eſt *gradus apud Deum*, ſcil. in Paradiſo, de quo poſtea.

III.

Triplicem communiter gradum beatitatis cæleſtis ſtatuunt Jud. Magiſtri conſequendum animabus Juſtorum. In Paradiſo Inferiori, ſecundo in Paradiſo ſuperiori, & tertio in futuro ſeculo poſt reſurrectionem mortuorum, de his ita Menaſſ. ben. Iſr. lib.

 cit.

cit. part. 2. cap. 21. ubi de tribus Angelorum ordinibus qui animas justorum excipiunt in Paradiso.

אמנם לעניות דעתי שכאן הג' כתות של מלאכי השרת הם שלושה מבשרים ותשמיעים שלושה ישועות לנפש ר"ל בגן תחתון ועליון ובעולם הבא אחר תחית המתים

i. e. *Certè pro tenuitate ingenii mei (puto) quod hic illi tres ordines Angelorum ministrantium sint tres Evangelizantes & annunciantes tres felicitates animæ, nimirum, in horto inferiori, & superiori, & in futuro seculo post resurrectionem mortuorum.*

De עולם הב' sive futuro seculo hoc breviter notabimus, Rabbinis, præterquam quod dies Messiæ eo designent, in genere sumi de vita quæ futura est post resurrectionem, sive beata, sive misera. Ita dicere solent Judæi.

נקרא העול' הב' מפני שהוא עולם הבה לאדם אחר צאתו מן העולם הזה

i. e. *Vocatur seculum venturum, eo quod homini venit post excessum ejus ex hoc seculo.*

Ita ut hac in re commune sit tum לרשעים לצדיקים לבינונים *impiis*, *justis* & *intermediis*, sicut nonnulli distinguere solent homines respectu operum suarum & conditionis. Specialiter autem ipsis significat seculum beatorum, de hoc autem intelligendum est illud tritum Rabbinorum.

עולם הב' אין בו לא אכילה ולא שתייה ולא קנאה ולא תחרות אלא צדיקים יושבים ועטרותהם בראשיהם ונהנין מזיו השכינה

i. e *In seculo futuro non est esus nec potus, non odium nec lis sed justi sedent cum coronis suis in capitibus suis, & fruuntur splendore Schekinæ.*

Magnifice de eodem loquitur Rab. Schem Tof libro de anima ea sectione quæ agit de seculo futuro.

סוד העולם הב' הוא סוד עליון גדול ונורא ונפלא מאד ואין מי שיוכל להשיג מעלתו וכו'

i. e. *Secretum seculi venturi est secretum excelsum & terribile & mirandum valdè nec est quisquam, qui poterit comprehendere ejus*

Excel-

Excellentiam, nam secretum ejus est magnum & elatum, & ex seculo futuro egreditur multifaria vita & influentia & splendor graduum inde egreditur, & ille egreditur semper sine intermissione ad illuminanda lumina ordinis puri illius, & vocatur id, fluvius cujus aquæ non deficiunt.

Hanc triplicem notationem communiter huic phrasi attribuunt Judæi, an autem rectè id fiat an secus, id Rabbini inter se contendunt, hic annotat Elias Levita Germanus in suo Thisbi, de hac re esse מחלוקת בין אחרונים *contentionem inter Magistros posteriores.*

THESIS FUND. IV.

QUod illa remanentia & adhærescentia Spiritualis post mortem non sit appropriata menti operanti (sicut crediderunt posteriores Philosophi, quibus accesserunt multi ex sapientibus Gentis nostræ) nim. quod anima ei adhærescat, & in eo delitietur. Verùm adhærescentia illa & voluptas & merces est à Deo bened. & cum eo adunantur animæ perfectæ. Dixit Jobus *in cujus manu est anima omnis viventis, &c.* Dixit Salom. *Et Spiritus revertitur ad Deum, qui dedit eum, &c.* v. d. quod cum Deus ille sit, qui dedit animam intelligentem, sicut dicitur: *Et animas ego feci*, conveniens sit ut post ejus separationem à corpore ipsi adhærescat, & ut eat in domum Patris, sicut I. in juventute sua; Et hoc jamjam explicarunt S.n.bm. in Tractatu Chagiga. II. Cœli amœni excelsus & elatus est, qui habitat in eis. Cœli amœni in quibus est Jus, Judicium & Justitia. Thesauri vitæ, Thesauri pacis, Thesauri benedictionis, & animæ justorum, & animæ spiritusque qui adhuc creandi, & Ros ille quo Deus ben. mortuos resuscitabit Jus & Judicium, sicut dicitur: *Justitia & Jus basis solii sui*, Justitia ut scri-

ſcriptum eſt: *Et induet juſtitiam ut Loricam*. Theſauri vitæ, ſ. d. *Nam apud te eſt fons vitæ*. Theſauri pacis, ſ. d. *Et vocavit ei Deus pacem*. Theſ. benediction. *Reportabit benedictionem à Deo*. Animæ Juſtorum ſ. d. Et *erit anima Domini mei lig*. Et anima creand. ſ. d. *Et animas ego feci*. Et Ros ille, &c. ſ. d. *Pluviam ſpontaneam ſtillabit*, & de hoc negotio dicitur, omnes res illas eſſe opus Providentiæ Dei. Ideo eas tribuit Sacra pagina Deo bened. quia ille fecit eas. Et jus, judicium & juſtitia ſunt ejus providentia circa filios hominum, & beneficentia erga eos in via providentiæ. Et memorant vitam, pacem & benedictionem, quia ſunt merces timentium nomen ejus. Et animæ creand. quia facta ſunt à cauſa prima & non ex intellectu operante, & animæ juſtorum poſt perfectionem & ſeparationem earum à corporibus, quæ adhæſio & remanentia illa eſt in Deo ben. & non in alio intellectu. Et Ros ille, &c. id intendunt eo, reſurrectionem nim. fore miraculoſam, per providentiam Dei non per viam naturalem. Et hoc etiam intendunt cum dicunt in fine ſermonis. Et ibi ſunt III. Ophanim, & Seraphim, & animalia ſancta & Angeli Miniſtr. Et Thronus gloriæ & Rex Deus vivens excelſus ſedens ſuper eum ſ. d. *extollite eum qui inſidet amœnitatibus*, v. d. animas ſuperſtites ibi eſſe in gradibus intellectualibus ſecundùm gradus ſuos. Et hæc omnia Cœlis amœnis tribuuntur, ad inuendum quod Deus ben. ſit Motor Sphæræ ſupremæ, & gubernans ſuâ providentiâ hanc terram inferiorem per illa memorata. Et ecce ibi nullam pœnæ impiorum mentionem injiciunt eo quod nullum malum deſuper deſcendit, id enim eos ſequitur ob peccata ſua. Ideò dicunt: *Nam honorantes me honorabo contemtores autem mei vileſcent*.

Hoc

Hoc ſundamentum Abigaël innuit, cum d. *Et erit anima, &c.* v. d. eam adhæſituram cauſæ primæ non menti operanti.

NOTA I.

Putant Rabb. animas omnium hominum jam natorum & naſcendorum uſque ad finem ſeculi ſimul fuiſſe creatas in creatione mundi, quam ſententiam illi reliquorum Philoſophorum contradiſtinctam, ſe ita habere profitetur Men. ben. Iſr. lib. II. cap. 16.

אמוני ישר' מאמינים באמונה שלמה שנבראו כלם בששת ימי ברשית·

I. è. *Fideles Iſr. firma fide tenent creatas eſſe omnes (animas) ſex diebus creationis.*

De hac ſententia ore rotundo pronuntiant in Tanchuma:

כל הנשמות שהיו מין ארם הראשון ושיהיו עד סוף העולם נבראו בששת ימי בראשית וכלם בגן ערן וכלן היו במתן תורה וכו'

Volunt ergo omnes illas animas abſq; corpore adfuiſſe in datione legis & ſuſcepiſſe legem prout illæ quæ in corpore aderant. Item omnes Prophetas ibi vaticinia ſua à Deo accepiſſe, ſuo quiſque tempore prædicanda.

Ideò etiam dicunt in hanc ſententiam אין בן דוד בא עד שיכלו הנשמות שבגוף Multa hic adducit author Men. ben. Iſr. ex Magiſtris Jud., ut etiam illud ex Chagiga quod Abarbanel in hoc Fund. IV. habet, ex ſcriptura etiam aliquot loca, ſed quam multùm iis proficiat curioſus Lector ipſemet concludere poteſt, illa enim legiſſe ferme refutaſſe eſt.

Cùm ergo corpus cujuſdam hominis formatum eſt in utero Matris volunt Deum ben. illam animam cui hoc corpus deſtinavit ei immittere, de his agit Men. ben. Iſr. cap. 18. lib. II. ubi ſic incipit:

מונח [illegible] מרעת כל חכמי ישר' שהנשמה הטהורת [illegible]

נתנה לו לאדם מאת הש׳ מן השמים מתחלת הויתו במעי אמו טרם צאתו לאויר העולם

i.e. *Inconcussa veritas est suffragantibus omnibus sapientibus Israel. quod anima homini detur à Deo è Cælis quamprimum existere incipit in utero Matris suæ antequam in lucem mundi prodeat.*

Hinc illa fabula in Medrasch de ejus migratione è Cœlo in corpus suum ad quam ablegat lectorem Men. ben. Isr. cap. 18. num. 3.

צא ותשכח במדרש כי המלך בא אצל הפרגוד ונוטל הנשמה משם ואומר לה בואי עמי והכנסי במעי אישה פלוני׳ והיא משיבה איך אניח מקום טהור ואלך למקום טמא והמלך נוטלה בעל כורחה ונותנה במעי אשה וכו׳ .

i.e. *Vade & invenies in Medrasch quod Angelus abit penes Aulæum & aufert animam abinde & ei dicit: Veni mecum & introducam te in uterum cujusdam mulieris. Illa autem regerit quomodo relinquerem locum purum & abirem in locum inquinatum. Tunc Angelus eam aufert invitam & utero mulieris indit, &c.*

II.

Quid per ערבות intelligant Rabb. patet ex iis quæ habet Rambam in suo Moreh parte 1. cap. 70. ubi explicat hoc dictum Psalm. 68. 6. Abarbaneli hic citatum. ex Interpretat. Clariss. Buxtorff. *Ei qui equitat super* ערבות, *h. e. qui dominatur super* ערבות *sphæram nempe supremum, quæ reliquas omnes circumdat. Apud Rabbinos etenim nostros passim inculcatur septem esse expansiones-sive orbes & supremam inter illas, quæ reliquas circumagit esse,* ערבות·

Idem Author in libro יסודי תורה cap.III. ab Init. ubi de vorticibus cœli agit in hanc rem ita infit.

הגלגלים הם הנקרים שמים ורקיע וזבול וערבות

Novem autem ibi dicit esse orbes, quibus recensitis de ultimo s. Nono, qui est ערבות dicit:

Orbis autem nonus est is qui circumit singulis diebus ab oriente in occidentem, & iste cingit & ambit omnes.

Clariss.

Clariss. Buxtorfio in Lexic. Talm. ad radicem dicuntur Cœli quasi amœnissimi ex radice ערב quod inter alia etiam significat amœnum jucundum esse, aut quod sint lati & expansi adinstar loci campestris. Notat AbenEsra ad Psal.68.5.

שם לשמים ורבי משה אמר נקרא כן שמים בעבור שהוא רחב

i.e. *Illud* ערבות *est nomen cœlorum & R. Mosche dicit, vocatur ita cœlum eo quod est latum & expansum.* Et paucis interjectis pergit AbenEsra.

ובעבור כי התנועות שלש האחת עולה כמו האש וכנגדו ההר והשנית יורדת כמו הארץ וזה בנגד השפלה והערבה אמצעית בתנועת הגלגל׃

i.e. (Vult ita vocari) *Propterea quia motus sunt triplicis generis, unus ascendens sicut ignis, & ei respondent montes, secundus descendens sicut terra & id respondet depressiori loco, & campestris locus sive planities intermedium est, sicut motus sphærarum.* Vult ergo ex illa Analogia motus intermedii inter sursum & deorsum quem habeant orbes, & locum intermedium quem tenet planities inter montes & valles profundas, id nominis sortitum fuisse Cœlum id supremum.

III.

De Angelis eorumque variis ordinibus & gradibus Excellentiæ multa fabulantur Rabb. ut patet ex Maimonidis Jesode Thora. cap.II. §.8.

שנוי שמות המלכים על שם מעלותם הוא ולפיכך נקראים חיות הקודש והם למעלה מין הכל ואופנים ואראלים וחשמלים ושרפים ומלכים ואלדים ובני אלדים וכרובים ואישים

i. e. Ex Interpret. Cel. Vorstii. *Varietas nominum Angelorum est pro ratione graduum ipsorum, & propterea vocantur animalia sanctitatis, quæ omnium sunt suprema & Ophanim & Oralim, Chasmalim, Seraphim, Angeli Dei Cherubim & Ischim.* Hæc Rambam plura non addimus, qui plura velit pellegat notas Vorstii ad hunc locum ubi multa ex Rabbinis producit de horum nominum

num Etimologia & ſignificatione. Item notas ejuſdem ad paragr. 6tum. Sufficiat hic nobis annotaſſe cum de anima hominis & ejus extremis agamus quid officii Angelis tribuant circa animam ad beatas ſedes migrantem peragendi. De hoc legitur in Tractatu Ketufot capite quod incip. Hannoſ. א״ר אלעזר בשעה שהצדיק נפטר מן העולם ג כתות של מלאכי השרת יוצאו לקראתו א׳ אומרת לו יבא שלו וא׳ אומרת הולך נכחו וא׳ אומרת לו ינוחו על משכבותם.

i. e. *Dixit R. Eleazer tempore quo juſtus dimittitur ex hoc ſeculo tres Catervæ Angelorum miniſtrantium egrediuntur in occurſum ei. Una ei dicit veniet pax, & una dicit abiens in conſpectum ejus, & una dicit ei requieſcent ſuper recubatoria ſua.* Idem de animarum impiorum dicunt, tres Catervas Angelorum perditionis eis occurrere, & certo alloquio ſingulari excipere, &c. A tribus Catervis autem dicto modo excipi animam beandam, quia trium bonorum particeps fiat, 1. quod liberetur à variis accidentiis malis hujus mundi, ideo dicere primam Catervam יבא שלום i. e. nunc ad quietem eam pervenire, 2. quod beatitate ſpirituali fruitura ſit ideo alteram dicere הולך נכחו i. e. eam abire, ut ſtet coram facie Dei ejuſque ſplendore illuſtretur, 3. quod liberetur à luctatione cum יצר הרע ideo tertiam dicere, quieſcent ſuper cubatoria. Sicque ſentiunt è contra de impiis, quod pluribus videſis apud Men. ben. Iſr. lib. II. cap. 21. ferè ab Init. Idem author hoc capite ſecutus ſententiam libri Sohar putat, illas tres Catervas eſſe השלשה אפוטרופסין דקיימין על האדם *tres Procuratores qui ſtant pro homine*, & ejus cauſam apud Deum agant. Volunt autem iſtud negotium de tribus illis Catervis ſic ſe habere prout in Regno terreſtri, illas nimirum primo animam excipere adinſtar illorum miniſtrorum Regis Carnalis, qui Legatum ex oris peregrinis in ſedem Regiam adventantem primo excipiunt, alium autem Angelum eſſe primarium, qui adinſtar primi Cubicularij Regis & intimæ adadmiſſionis miniſtri, ipſam animam immediate coram Deo ſiſtat præſentem.

De

De hoc R.Chiia in Parasch.Noach. בשעה שנשמתו של צדיק יוצאת מן הגוף מיכאל השר הגדול המקריב נפשות הצדיקי׳ לפני בוראו הודה יוצא ומקדים שלום לנשמתו של אותו צדיק שנ׳ ומלכי צדק מלך שלם וגו׳ והוא מיכאל ראש שומרי׳ שערי צדק·

i. e. *Tempore quo anima justi è corpore egreditur Michael Princeps ille magnus adducens animas justorum coram Creatore suo egreditur prænuntians animæ illius justi pacem sicut dicitur, & Melchisedec Rex Salem,*&c. *Qui est Michaël princeps custodientium portas justitiæ.* Qui hæc intelligere velit de Christo Angelorum Principe Jobo dicto מ״לך המליץ qui fidelium est Orator, pio animo id credere poterit.

THESIS FUND. V.

VErsatur circa qualitatem voluptatis Spiritualis, & mercedis seculi animarum, quæ est apprehensio divina, & illa voluptas separata, cujus veritas non æstimatur in hac vita corporali, cum id ab ea prohibeatur propter materiam. Et quia merces illa consistit in apprehensione Dei, quæ apprehensio ipsi negatur, cum adhuc existit in corpore, dicunt Sapientes nostri b. m. illud esse lucem illam absconditam justis in seculo futuro, quod durabit per tempus infinitum. Et variant in eo gradus virorum prout diversi fuerunt in amore & Religione cum adhuc essent in vita corpore & anima. Et huic apprehensioni juncta est voluptas divina. Quia ita est sicut dixit Physicus Aristoteles in sua Metaphysica. Voluptas & delitiæ sunt apprehendentis ex apprehendentibus apprehensionem. Et hæc apprehensio vocatur vita, quia omne intellectuale & intellectus per operationem est vita sicut id Philos. explicat in eodem loco. Et

jam S. N. bm. id etiam teſtati ſunt cum dicunt, juſti etiam in morte ſua vivunt. Et in Medr. Tehill. dicunt: Pii exſultabunt in gloria. In quali gloria? In gloria quam Deus ben. juſtis paravit cum liberantur à mundo, tunc eum laudant. Dixit R. Chia F. R. Joſe; Nulla eſt differentia inter juſtos vivos & mortuos niſi ſermonis tantùm. Illi laudant Deum bened. hi exſultant ſuper Cubatoriis ſuis, & illos deſignant cum dicunt in Tractatu Beracot, ſedent juſti cum Coronis ſuper Capita ſua & fruuntur ſplendore Dei. Intelligunt per Coronas juſtitiam ipſorum, & opera ipſorum bona. Et ſplendor Schekinæ eſt influxus & apprehenſio perpetua, quâ fruentur & delitiabuntur. Et ad hoc alluſit hæc Virago cum dixit: *Et erit anima Domini mei ligata, &c.* v. d. In faſciculo influxus & apprehenſionis illius, quæ eſt vita aut in congregatione mentium ſeparatarum quæ revera vita eſt.

NOTÆ.

Rabbini duplicem locum ſtatuunt, in quo animæ beatæ mercede gloriæ fruantur, duplicem nim. Paradiſum ſuperiorem & inferiorem. De hoc ſic Men. ben. Iſr. lib. 1. cap. 10.

ראוי שתדע כי בעלי חכמת הקבל״ה הסכימו שיש ג״ע עליון וג״ע תחתון וכו׳

i. e. *Sciendum eſt in hoc conſentire omnes Cabbaliſtas dari hortum Ed. ſuperiorem & inferiorem.* Non opus eſt alia adducere ad probandum in hac opinione eſſe Rabb. Idem habent R. Schem Tof & Ramban.

De Paradiſo inferiori dicit Men. ben. Iſr. ſeptem nominibus venire in S.S. ad modum ſuperioris. Illa ſunt 1. גן עדן 2. היכל ה׳ 3. ארץ החיים 4. מקדש אל 5. עיר ה׳ 6. משכנות ה׳ 7. ארצות החיים

Et hæc nomina ex ſcriptura exſculpere nititur, ſed quàm clarè judicio curioſi lectoris relinquimus. Ut omnia correſpondeant in

in numero Myſtico ſeptenario ſeptem Palatia in hoc Paradiſo invenit quod citat ex Jalkut additis hoſpitibus uniuscujuſque primum v.gr. paratum eſſe pro interfectis Regni, qualis fuiſſe dicitur R. Akiba cum Sociis. Secundum pro ſubmerſis in mari,&c. ſed prolixiora hæc ſunt quàm ut iis inhærere poſſimus, videamus potiùs quomodo Judæus hujus Paradiſi, & ejus exiſtentiæ neceſſitatem adſtruere conetur, ſic ille:

ידוע תדע כי כמו שא"א לעבור מן הקצה אל הקצה בלתי
עבור האמצעיים כך נפש הצדיק בהיותה מורגלת בענייני הגוף
ומחשביו לא תוכל תכף ומיד לעלות למעלה ולסבול האור
הגדול ההוא וכו'

i.e. *Sciendum eſt omnino, quod ſicut impoſſibile eſt tranſire ab uno extremo ad aliud niſi tranſitu per intermedia, ita anima juſti cum aſſueta ſit rebus corporalibus & cogitationi earum, non poteſt ſtatim & è veſtigio aſcendere supernè & ferre lucem illam magnam, quia eam perferre nequit niſi aliquo tempore aſſueſcat in loco quodam intermedio, inter dua illa ſecula, qui eſt hortus Edenis inferior, quo digna eſt anima ſtatim poſt ſeparationem à corpore.*

Gemina hiſce habet R. Schem Tof, parte 2. libri ſui.

ואמרו כי ודאי הנפש שהיתה מורגלת בזה העולם המורגש
ושוכנת בזה הכלי בשיוצאת מתוכו אינו יכולה להכנס מיד
לתוך הזוהר הגדול העליון ולסבל הספקלריו' עליונות וכו

i.e. *Et dicunt quod in confeſſo ſit, animam, cum ſit aſſueta in hoc mundo ſenſitivo, & habitet in hoc vaſe,(nim. corpore) cum egreditur è medio ejus, non poſſe ingredi ſtatim in medium illius ſplendoris magni & excelſi, & perferre ſpecula illa ſuperiora, quia non aſſueta eſt illis, ideo Deus ben. eam attrahit in hoc horto Edenis qui eſt in terra,&c. Et ibi revelat ei Arcana magna & res occultas, quæ non decet memorare aut ſcripto tradere.*

Addit poſtea:

והימים אשר עומדת שם ורואה ויודעת ומשגת עד שתהיה
מרגלת באותם ציורים והענינים הפנימי' שהם דוגמת עולם עליון
ואמרו

ואמרו היאך מתלבשת במלבוש והיו קורים לאותו המלבוש חלוק, דרבנן וכו׳

i. e. *Et in diebus illis quibus ibi manet videt, cognoſcit & apprehendit, usq; dum exaltetur ad eas figuras, & illas res interiores quæ ſunt exemplar ſeculi excelſi, & dicunt ibi indui eam certo quodam veſtimento quod vocant.* חלוקי דרבנן Et paucis interjectis dicit: *animas ibi delitiari omnibus illis diebus & tempore illis definito, uſq; ad diem quo aſcendunt ad domum Domini, eo tempore impleto eas aſcendere ſuperius ad videndum amœnitatem Dei.*

Hiſce verè ſimilia habet Rambam in explic. Miſchnæ. Ubi hunc Paradiſum ita deſcribit ut dicat eſſe locum Pinguedinis & olei prætioſi, in eo eſſe fluvios multos & arbores fructiferas. Deum ibi revelare filiis hominum ſec. fut. & viam ad id docere. Eos ibi invenire Germina mirabilia magno uſui inſervientia delitioſa & dulcia.

Imo in hanc rem exſtat hiſtoria de Æſculapio, quam citat Men. ben. Iſr. Et Ramban. in Schagnar hagg. ex libro אסף היהודי

כתבו כי איסקולפיאוס חכם מקדוני וארבעים איש מלומדי הרפואה הלכו הלוך בארץ ועברו מעבר להודו קדמת עדן למצא קצרת מעצי הרפורת למען תגדל תפארתם על כל חכמי הארץ ובבואם אל המקום ההוא הבריק עלהם להט החרב המתהפכת ותתלהטו כלם בשביבי הברק ולא נמלט מהם איש׃

In hanc ſententiam etiam citat Men. ben Iſr. Platonem, &c. poſtea dicit:

ולכן קראוהו בלשונם קאמפוס איליציאוס ר״ל לפי דעתי שדות אליהו כי נתפרסם ונתפשט בעולם ענין עלותו בסערא אל שדות טובי אל מים רב׳

i. e. *Propterea vocant eum Idiomate ſuo Campus Elyſius v. d. ſecundum ſententiam meam Campi Eliæ, nam notum eſt inter eos & in mundo revelatum negotium de ejus aſcenſu in Turbine ad campum bonum & aquas multas.*

Hinc etiam dicunt Eliam multoties viſum fuiſſe ex illo Paradiſo ſapientibus & reſponſa dediſſe ad eorum interrogata, item alios

alios menſuratos fuiſſe ejus longitudinem & latitudinem, & ſciviſſe portas ejus, & ſitum qui ſit תחת קו השוה *ſub Æquatore*. Et alia hujus farinæ plura quæ habent R. Schem Tof, & Ramban.

Nunc paucis de Paradiſo ſuperiori, ſeptem itidem nominibus vocari in S.S. contendit Men. ben Iſr. nempe 1. צרור החיים
2. אוהל ה' 3. הר הקודש 4. הר ה' 5. מקום הקודש 6. חצרות ה
7. בית ה. Et putat ſeptem hæc nomina reſpondere ſeptem Palatiis Sanctis quæ Palatia Dei vocentur, & ſeptem ordinibus juſtorum, qui ſecundum Excellentiam ſuam comparentur Soli, Lunæ, ſplendori excelſi, &c. Item quomodo ordines illi unus antecellat alium gloria, multas etiam quærit Analogias in rebus inferioribus reſpectu illius numeri ſeptenarii, ut quæ dicunt Rabb. de ſeptem gradibus ſanctitatis in terra Iſraëlis, de Paradiſo ſuperiori autem ſic habet R. Schem Tof, parte ſeq.

ויש לנו להאמין ולדעת כי גן עדן של מעלה הוא סוד צרור החיים ואותו הגן הוא שהק״בה חפץ בו תמיד ונשמות הצדיקים צרורות בו ונהנין מזיו וזיו גן עדן של מעלה אינו זולתי מאור זיו הנהר וכו׳

i.e. *Et nos utiq; credere & ſcire debemus, quod hortus Eden ſuperior ſit illud myſterium faſciculi viventium, & idem eſt ille hortus quo Deus bened. delectatur perpetuò & animæ juſtorum in eo colligatæ ſunt, & ejus ſplendore fruuntur & ſplendor illius horti ſuperioris nihil aliud eſt præter lumen ſplendoris illius fluvii egredientis ex Eden & ingredientis in medium ejus, & in eum influit lux ſplendoris interioris ex ſecreto ſplendoris fut. ſec. quod eſt ſanctum ſanctorum ſupernum,* & *de eo dicitur oculus non vidit Deum præter te. Hortus Eden hic eſt myſterium abſconditum* & *reſervatum ſapientibus Cabbal. qui norunt gratiam,* & *myſterium porticuum, theſaurorum* & *portarum ejus,* & *lapidum pretioſorum quot modis ſint coordinati, ibi animæ delitiantur,* & *laudant Deum,* &c. huc uſque R. Schem Tof.

Multa etiam garriunt Rabbini de migratione animarum beatarum ex Paradiſo ſuperiori ad Paradiſum inferiorem, & vice verſa quæ ſingulis duobus menſibus fiat, quam migrationem illi

סוד העלידה והירידה vocant, hujus rei mentionem etiam injicit Men. ben Isr. ex רש בי & ex ſapiente. גאלנטי qui fortè eſt *Galatinus* ubi dicit, animabus beatis hac in parte id uſu venire, quod Regibus, qui majoris Magnificentiæ & commoditatis gratia Palatia exſtruant non tantum in Metropoli Regia, ſed etiam aliis in locis circumjacentibus, quo nonnunquam excurrere ſoleant, imo ipſarum animarum beatarum curioſitati tribuit id, cum ita pergit:

וכמו שהאנשים בע׳ הז׳ מתענגים בשמועות הרחוקות והמאורעות המתרגשות לבא בעולם כך הצדיקים שבג״ע העליון יורדים לקבל קרובהם ונשמות הצדיקים ושואלים אותם מענייני העולם הזה׃

i. e. *Et ſicut homines in hoc mundo voluptatem capiunt ex rumoribus longinquis, & eventibus ſenſualibus in mundo, ita juſti qui ſunt in Paradiſo ſuperiori deſcendunt ante propinquos ſuos & animas juſtorum, & interrogant eos de rebus hujus mundi.*

Beatas animas ſermones inter ſe miſcere paſſim Rabbini ſtatuunt, ut v. gr. Ramban in ſæpè citato libro Schagnar Haggemul:

הנשמות מספרות זו עם זו כמו שזכרו ר״זל ואין הכונה לספור שפה והתוך לשון אך שיש הודעת והשגה לנפשות זו מזו׃

i. e. *Animæ loquuntur una cum altera* (intellige in cœlo de quo in præcedent.) *ſicut memorant Rabbini N. b. m. Intentio autem eorum non eſt quaſi loquerentur labio & inciſione linguæ, ſed quod intercedat notificatio & apprehenſio quædam inter unam & alteram animam.*

Cum hoc propemodum ingenio humano uſu venire ſoleat, ut ex eo, quod ipſi de bonis hujus mundi maximum affert delectamentum, bona alterius vitæ quodammodo auguretur, iis conſimilia exiſtimet, & ſi talia in illa fruitione beatifica deſiderarentur, id defectui tribuat, hinc etiam factum eſt quod Mahomet homo mere ψυχικὸς, non niſi carnalem & variis delitiis mundanis abundantem finxerit Paradiſum.

Ubique

Ubique ferè locum beatitudinis dicit esse hortos delitiosos, futuros ergo Cœlites פי גנארּת אלנעים *in hortis jucundis*, alibi ut Surat. 61. quæ inscribitur Aciei hortos ab amœnitate amnium eos alluentium describit, (quod etiam multoties alias in Corano occurrit,) Dicit:

ידכֿלכם גנארת תגרי מן תחתהא אלאנהאר

i. e. *Introducet vos in hortos subter quibus decurrunt fluvii.* Et ibidem eos vocat *mansiones amœnas in hortis Edeni.* מסאכן טיבהֿ פי גנארת עדן Surat. 47. Hanc Regionem cœlestem perlui dicit fluviis varii liquoris ibi esse אנהאר מן לבן *fluvios lactis* מן חמר *Vini generosi*, ואנהאר מן עסל & *fluvios mellis*, quos singulos à speciali proprietate commendat. In Surat. 37. delitias istas in hortis porrò describit, quod futuri sint עלי סרר מתקאבלין *Super Soliis (Lecticis) è regione se invicem facie à faciem spectantes.* His ita magnificè dispositis dicit porrò futuros qui circumeant, cum calicibus potûs limpidissimi & delitiosi admodum.

לא פיהא עֿול ולא הם ענהא ינזפון·

i. e. *Non est in eo oppressio mentis, nec illi ex eo inebriabuntur.* In Surat. 38. versu 51. 52. promittit beandis fructus varios, & varii generis potus. Cumque Mahomet admodum sollicitus fuerit ne Uxores suæ secretos alerent amores cùm aliis hincq; alicubi in Corano suis quasi ex mandato Dei interdixisset, ne tangerent Uxores sibi proprias; Inde est, quod talem uxorum infidelitatem, tanquam malorum gravissimum locis beatis excludat & oppositam virtutem uxorum huic vitio inter prærogativas Paradisi numeret, Quando citato loco hac phrasi illud exprimit:

וענדהם קאצראת אלטרף אתראב·

i. e. *Et apud illos* (intellige Viros beatos) erunt fœminæ *demissum servantes visum ad neminem nisi ad maritum respicientes, ipsorum sociæ (vel ipsis coëtaneæ.)*

Item Surat. 43. vers. 71. Convivium cœleste ita describit:

יטאף

ויטאף עליהם בצחאף מן ההב ואכואב ופיהא מא תשתהידה
אלאנפס ותלד אלאעין

i. e. *Et circumibitur per eos cum patinis aureis* & *scyphis*, & *in eis erit quicquid appetunt animæ*, & *delectantur oculi.*

Vestitum exponit Surat. 44. vers. 53.

ולבשון מן שנרש ואשתברק

i. e. *Vestientur pannis subtilibus sericis*, & *sericis versicoloribus* & *fulgentibus.*

Item Surat. 35. vers. 30. quæ est de Angelis.

יחלון פיהא מן אשאור מן ההב ולולוא ולבאשהם פיהא
חריר

i. e. *Ornabuntur in eo* (nempe Paradiso) *armillis aureis* & *Margaritis*, & *vestes eorum erunt sericæ.*

In hisce crepundiis acquiescit Theologia Mahomedana, & summam felicitatem in iis quæ Infantibus deliniendis vix sufficerent collocat: sic enim alicubi postquam nonnihil horum recensuisset, addit Pseudopropheta דלך אלפוז אלעטים *Hæc est felicitas illa magna.* Et quamvis etiam nonnunquam ad vitæ cœlestis gaudia significanda, ipsissmet Sacræ Scripturæ verbis utantur, ut cum dicunt servis Dei parata esse.

מא לא עין ראת ולא אדן סמעת ולא הטר עלי קלב בשר

i. e. *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.*

Nihilominus ex aliis dictis satis patet, quomodo id intelligi velint, ut ex illo vulgari Mahomedis dicto, quo summum felicitatis gradum exprimere solitus est.

אן אלרגל מן אהל אלגנה ליעטי קוה מאיה רגל פי אלאכל
ואלשרב ואלשהוה ואלגמאע.

i. e. *Unicuique è Paradisi incolis datum iri vires centum virorum ad edendum, bibendum, libidinandum* & *venerem exercendam.*

Vide Notas Pocockij ad Abulfar. p. 293.

THES.

THESIS FUND. VI.

QUod remanentia illa non solùm sit animarum perfectarum, quæ supersunt cum suis cognitionibus aut operibus gratis. I. Verum impiorum etiam animæ superstites sunt, ut puniantur in seculo animarum; Et hoc monstrat, quod pœna animæ non in hoc consistat ut illa pereat pereunte corpore, secundùm sententiam quorundam sap. Nostratum; Verùm in hoc quod superstes sit in vita spirituali & ibi recipiat pœnam suam. Hinc clarescit animam intelligentem non esse dispositionem, ut voluit II. Alexander, sicut dicitur, במ״נ libri de anima: Et sicut videtur eo etiam inclinare Doctorem more nev. cap. 69. part. 1. libri sui. Veruntàmen certè anima hominis, quæ est ejus forma illa est substantia spiritualis aptata ad intelligentias, neque intelligens in operatione per se ipsam, idcirco illa superest post mortem, sive ad recipiendam mercedem sive pœnam; Et jamjam hæc veritas exstat in capitulis R. Eliezaris. Dicunt omnes animæ revertuntur & congregantur unaquæque ad generationem patrum suorum, & ad populos suos justi cum justis, impii cum impiis. Nam sic dicit: *Et tu venies ad Patres tuos in pace, &c.* Et in Medrasch Kohelet dicunt conditio eadem est animarum justorum, & eadem injustorum, omnes ascendunt in altum, sed (differentia) in eo est, quod justorum animæ in thesaurum ponantur, & animæ impiorum disturbentur super terra, & hoc est quod Abigaël spiritu Proph. Davidi, dixit: *Et erit anima Domini mei lig.* &c.

NOTA I.

Afferta immortalitate animæ rationalis cum ejuſdem ſint naturæ & eſſentiæ tum animæ juſtorum tum injuſtorum utiq; abſu dum eſt animabus poſteriorum id privilegii derogare velle. Non defuerunt tamen ex Judæorum Magiſtris, qui abſolutè negabant animas impiorum in æternum ſupervivere, imo ne quidem reſurrectionis quoad corpus participes forè ſtatuunt, inter illos fuit etiam R. D. Kimchi, qui in Commentario ſuo in Pſalmos Davidis Pſal. 1. ad verba *impii non ſurgent in judicio*, concludit nullum fore impiorum reſurrectionem, ſed eos planè annihilari & perire נפשם עם גופם *animam ipſorum cum corpore ipſorum*. In hanc ſententiam etiam inclinat ipſe Maimonides, ut videre eſt alicubi in Tractatu ſuo in Hilchot Theſchuva, ubi aſſerit impiorum animas brutorum more in nihilum redigi; Admodum craſsè de his etiam philoſophatur R. Moſes Gerundenſis, in ſua *Porta Retributionis*, ubi exiſtimat animas impiorum, per ignem adeò aduri ut eorum forma planè immutetur, & in cineres redigatur. Sic ille

שמחויבי עונש נדונים בגהינם י״ב חדש כל אחד כפי הראוי לו ואחר י״ב חדש נשמתו נשרפת ונעשית אפר כלומר שתתבטל צורתו ממה שהיתה כדבר הנשרף׃

i. e. *Qui pœna obnoxii ſunt, judicantur in Gehenna duodecim menſes unusquisq; prout condignum eſt ipſi & poſt illos duodecim menſes anima ejus comburitur & fit cinis, id eſt ceſſat forma ejus eſſe quod fuerat antea ſicut res exuſta.*

Sic nonnulli putarunt in tali annihilatione eſſe illud כרת ſeu excidium animæ de quo mentio fiat in S. Scriptura, ſed de his vide illa fragmenta ex Maimonide, Nachmanide R. Laniado Abarbanele, &c. quæ Clariſſ. Buxtorffius tranſtulit, & diſſertationi de Sponſalibus & Divortiis ſub finem adjunxit.

II.

Minus rectè Judæus converſus Chriſtiani in editione hac Abarbanelis Lipſienſi quâ uſi ſumus, in Margine ponit, ut indicet

dicet quis fuerit Alexander, ille Antagoniſta Abarbanelis אלכסנדר מוקדון quaſi Alexander M. fuiſſet, cum tamen is fuerit Alexander Aphrodiſ. ut patet ex Men. Ben. Iſr. de quo nunc dicendum. Quod ad ſententiam Alexandri attinet eam plenius exponit Men. ben. Iſr. in Tract. cit. lib. 2. c. 1. ubi eandem etiam refutat. Sic ille:

הנה אלכסנדר הפרודוסו גדר שהנפש היא כח והכנה בלבד לקבל המושכלות אשר בם תתאשר אחר המות ותדבק בשכל הפועל וכו׳

i. e. *Ecce Alexander Aphrodiſienſis definit quod anima ſit facultas & diſpoſitio tantum, ad recipiendum intelligentias quæ in ea ſuperſunt poſt mortem & adhæreſcit intellectui operanti.*

Hanc ſententiam ibi tribus argumentis refutat, quorum primum æque falſum eſt ac ſententia Alexandri, quippe quod continet ſententiam illam de Creatione animarum ſextiduo τῆ Bereſchit factam, nimirum animas non exiere eodem modo quo reliquæ formæ hujus mundi inferioris, ex virtute ſeminis vel materiæ, ſed exiſtere antè corpus, & ab extra in id ingredi, &c. verum de hac ſententia dictum nobis eſt ad fundamentum quartum.

Putat Abarbanel ſententiæ Alexandri ſuffragari Maimonidem, idem ſenſit etiam הנרבוני qui citante Men. ben. Iſr. in Commentario ſuo ſuper Maimonidis More Novockim, ſic de Maimonide inquit:

רבינו מושה עליו השלם הלך בעקבות אלכסנדר בזה הדעת והאמין שהנפש היה כח והכנה בלבד ע״כ

i. e. *Magiſter noſter Moſes* (nempe Maimon.) *ſuper eum ſit pax, preſſit veſtigia Alexandri in hac ſententia, & credidit animam eſſe virtutem quandam & diſpoſitionem tantum. hucuſq.*

Locus Maimonidis ad quem alludunt illi, exſtat in ſuo Moreh parte 1. cap. 69. verſ. 70. ubi ex ſententia, quæ in Chagiga de qua fund. quarto de animis juſtorum & ſpiritibus creandis, ita loquitur ex Interpræt. Cel. Buxtorf. *Animæ illæ, quæ poſt mortem ſuperſtites ſunt, non ſunt illa anima quæ procreatur in homine tempore generationis. Anima quippe illa quæ procreatur tempore generationis*

tionis est potentia solum & dispositio, sed res illa quæ separatur post mortem, est res in actu.

Hæc sunt verba Maimonidis, sed miror istos authores tam sinistre sententiam ejusin de collegisse, nam clara sunt ejus verba non enim de illa anima quæ antè corpus existit, & post illud remanet, quàm vulgo נשמה appellant, eam potentiam & dispositionem tantùm esse dicit, verum de ea quæ cum corpore generatur, & cum eodem interit quam נפש dicunt: Hinc eum defendit Men. ben. Isr. loco citato ostendendo ex alio loco ipsius Moreh ubi de anima agit, Item ex alio ejus Tractatu cui nomen הלכות תשובה aliam ipsum & ab hac planè diversam fovisse sententiam, imò mentem suam explicat, & illas duas animas à se invicem distingit in alio libro suo. יסודי תורה cap.4. §.15. ubi postquam de anima illa quæ cum corpore generatur, & absq; quo subsistere nequit dixisset, nunc de anima intellectuali contradistinctè ita pergit:

לא תכרת הצורה הזות לפי שאינה צריכה לנשמה במעשיה אלה יודעת ומשגת הדעות הפרודו' מן הגלמים ויודעת בורא הכל ועומדת לעל' לעולמי עולמ' הוא שאמר שלמה וישוב העפר אל הארץ וגו'.

i. e. Ex Interpræt. Cel. Vorstii. *Hæc autem forma non exterminatur, quia non indiget animâ in suis operibus, sed intelligit atq; cognoscit intellectu separato à corpore,* (vel potius cognoscit notiones abstractas à materia) *atq; intelligit Creatorem omnium ac stabilis est atq; permanet in secula seculorum, hoc ipsum ait Salomon: Redibit pulvis in terram, &c.*

In eadem sententia Alexandri de anima fuit etiam R. Isaack ben Arama in llbro quem fecit עקדת יצחק ejus verba adducit satis prolixæ Men. ben Isr. lib.11. cap.2. Summam post alleallegata illa, ita deducit:

והכלל שהנשמה ההודה באדם כשיתהוה היא כח והכנה לבד וההתעצמות הנכבד עושה בו רושם להבדילו משאר הבעלי חיים להשיב נפשו מני שחת לאור באור החיים כי אז מתשל'

מתעל' מנפש חיו' ונפסד לרוח נבדל ונצחי ומרו' לנשמה ואז ראוי שתשרי עליו השכינ'

i. e. Summa est quod anima existens in homine cum generatur sit potentia & dispositio tantùm & existentia illa excellens facit in eo signaturam, ad distinguendum eum à reliquis animantibus, ad reducendum eum è fovea in lucem, lucem vitæ, nam tunc exaltatur ab anima existente & corruptibili ad spiritum separatum & æternum, & à spiritu sive רוח. *ad* נשמה. *tunc digna sit super quam quiescat Schekina.*

THESIS FUND. VII.

VErsatur circa qualitatem pœnæ impiorum, illa autem est, quod pœna eorum non sit corruptio & privatio plenaria, sed est pœna insignis & dolor assiduus, cujus qualitas nulli rei assimilari potest in hac vita, quia ibi ejus subjectum est tenuè, spirituale & sensibile admodum, & jamjam hac de re sententiæ Rabb. n. b. m. prostant. Sunt qui dicunt esse ignem tenuem punientem gradu intensissimo, dum dicunt, ignis noster est ut unum ad sexaginta ad ignem Gehennæ, & denominationem hujus pœnæ desumserunt ab iis qui judicati sunt ad combustionem, quia ignis est inter agentia subtilissimum. Et quia anima spiritualis subtilis est in genere densitatis & corporeitatis ejus, & variant etiam ibi gradus transgressorum, in eo quod pars eorum judicentur per duodecim menses, & alii judicentur à generatione in generationem, sicut dicitur in Tractatu Rosch. Haschana, & hæc etiam est sententia ר״ Ramban in libro suo Schagnar Haggemul quem fecit. Et in Capitulis R. Eliezaris dicunt: Quid interest inter animas justorum & animas impiorum, traditio, dicit R. Eliezar animæ justorum ab-

ſconditæ ſunt ſub Throno gloriæ, & animæ injuſtorum tolluntur & ambulant jugiter, illæ ſunt in requie, his autem nulla eſt quies, ſ.d. *& erit anima Domini mei, lig. &c. ſed anima hoſtium tuorum agitabitur in medio volæ fundæ.* v.d. quod ſicuti lapis in funda habet motum confuſum, modo ſurſum modo deorſum, modo rectum modo circularem, propter impellentem qui cogit illum ad hunc confuſum motum, ſic ſe res etiam habet in ſeculo animarum circa animas injuſtorum ex illa confuſione & diſturbatione propter cogentem & punientem eas, & id ipſis eſt cruciatus ſtupendus. Cum ſint inconſtantes & vagentur ab una re mala proveniente ex natura in aliam rem malam. Neque deſinit eſſe in hac pœna, usque dum abſolutum ſit tempus definitum pœnæ ſive ſit parvum aut magnum, aut infinitum ſecundum id quod decreverit Sapientia Dei bened. Et hoc intendit Mulier illa præſtans os loquens grandia cum dicit: *Et anima hoſtium tuorum agitabitur,* &c. Attende autem quod dicat, *in medio volæ fundæ.* Nam in hoc anima injuſtorum ſimilis non erit lapidi: Nam in quavis agitatione confuſa quæ fit in funda, ecce lapis egreditur, & quærit locum ſuum, & in loco ſuo naturali quieſcit, ſed anima injuſti ſic non erit, nam illa agitatio eſt pœna ejus, & ſemper erit in medio volæ fundæ, non egredietur inde nec revertetur in locum ſuum, nec inveniet requiem plantæ pedis ſui.

NOTA

In Medraſch Kohelet ſic ſciſcunt Rabbi de loco pœnarum citante Menaſſ. Ben. Iſr. lib. 1. c. 12. מפני מה ברא הק בה גהינם וגן עדן כדי שתהיה זו מצלת זו וכמה ריוח ביניהם ר׳

ר׳ יוחנן אמר כותל ור׳ אהא אמר טפח ורבנן אמרי שתי אצבעות׳

i. e. *Quare creavit Deus bened. Gehennam & hortum Edenis, ita ut unum possit umbram facere alteri* (tam vicina) *& quantum spatii est inter ea? R. Jochanan dixit Paries. R. Acha dixit Palma. Rabb. dixerunt duo digiti.*

Ad demonstrandum gravitatem supplicii infernalis Rabb. usi sunt variis locutionibus allegoricis, huc facit quod habetur in Bereschit Rabba ipsius Mosis Haddarschan ad illud Genes. 24. vers. 67. R. Josuam Ben Levi aliquando ivisse cum Angelo mortis quem קפור nominant & pervenisse ad Portas Inferni. De illo Angelo dixit:

בשעתא ההיא אחזיני שבערה מדורי גיהנם ובכל מדור ומדור שבערת אלפי בתי ובכל ביתא וביתא ז׳ אלפי חורי ובכל הורי וחורי אירת ביה ז אלפי סודקי ובכל סודקי אית ביה עקרבא אחד וההוא עקרבא אית ביה ז׳ אלפי חוליין ובכל חוליא וחוליא הוי ביה תשעין ותרין כדי מרה ובכל הרשעים מחוללים׳

i. e. *Eadem ipsâ hora ostendit mihi 7. habitationes Gehennæ. Et in unaquaq; habitatione 7 mille domus, in unaquaq; domo autem 7 mille foramina, & in unoquoq; foramine sunt 7 mille fissuræ, & in unaquaq; fissura est scorpius unus, iste autem scorpius habet 7 mille aculeos, & in quolibet aculeo sunt 92. species veneni, quo impii compunguntur.*

Putant Rabb. septem nominibus Gehennam vocari in S.S: quæ sunt: 1. שאול 2. אבדון 3. באר שחת 4. בור 5. צלמות 6. ארץ תחתית 7. תפתח De his singillatim agit Men. Ben. Israel cap. 12. lib. 1. Inter alia ibi dicit vocari אבדון על ששם תאבד הנפש ונענשת בבל מני יסורין

Item vocari צלמות ad id. annotat.

הנה כנה איוב הגהנם לצל מות ולא למות עצמו לרמוז שאינן בלים כמות עצמו אבל תשאר ברשעים כח לקבל עונשם ולהרגיש העונש׳

i. e. *Ecce nominat Job. Gehennam, umbram mortis, non mortem ipsam,*

ipsam, ad innuendum ipsos non consumi sicut per mortem ipsam, sed relinquitur in impiis facultas recipiendi pœnam suam eamq́ sentiendi.

Item תפתח ex Esaj. c. 30. vers. ult. sic dici volunt Rabbi citante Men. Ben. Isr. 10.

שכל המתפתח ביצרו נופל שם

Porrò de Gehenna sententiam Rabb. exponit, cum pergit; dicunt:

שנברא ביום שני לבריאת העולם יום שיש לו תמול ואין לו שלשם ושלזה לא נאמר כי טוב ביום השני דביה איתברא גהינם·

i. e. *Creatam fuisse secundo die Creationis mundi. In die cui equidem est heri, sed non nudius tertius, & ideo non additam ei fuisse benedictionem ordinariam* כי טוב· *quia eo die creata fuit Gehenna.*

Paucis interjectis vulgarem Etimologiam Gehennæ adjicit his verbis:

ונקרא בלשון ר״ל גהנם מהמקום ההוא סמוך לירושלים הנקרא גי בן הנם אשר שם היו משלכים הטומות והנבלות והיה תמיד שם אש לשרוף הטומות והעצמות ולכן על דרך משל נקרא מקום משפט וכו׳·

i. e. *Et vocatur idiomate Rabb. n. b. m. Gehenna ab illo loco contiguo Hierosol. qui vocatur vallis filii Hinom, quò projiciuntur inquinamenta & cadavera, & ibi continuus est ignis ad absumenda illa inquinamenta & ossa. Idcirco parabolicè locus judicii impiorum, quia ibi comburuntur cadaverum adinstar, Gehenna vocatus.*

Multa etiam garriunt Rabb. de septem mansionibus sive domubus Gehennæ, quæ respondeant 7. habitaculis in Paradiso, ad dandum unicuique mercedem pœnæ pro gradibus suis diversis, hæc prolixè admodum habet Men. Ben. Isr. loco citato. Numerum autem septenarium ex eo probare annititur, quod septem genera prævaricationum præcipuarum, item peccatorum insignium in sacro Codice occurrant, de hisce multis quoque agit Ramban in שער הגמול ubi ex Aggada citat in unaquaque mansione decem esse Nationes quæ puniantur, cuique autem nationi tanquam caput adjungit tales homines, quorum impie-

impietas à Spiritu S. in ſacra pagina ſingulariter notata fuit. Ut Doëgum, Abſolomum, Jeroboamum, Achabum, &c. Item nomina ſpecialia Angelorum mortis unicuique domui præpoſitorum; ſed hæc omnia enarrare moleſtæ & inutilis forſan operæ eſſet, cui ea legere volupe eſt inveniet loco citato. Hæc interim veritas inde elucet, cujus clara veſtigia in ſacro codice exſtant, diverſos eſſe gradus pœnarum in Gehenna ſicut in Paradiſo retributionis & gloriæ gradus variant, quod etiam concludit illic Men. ben. Iſr.

וכל א׳ וא׳ הענש נפשו כפי מעשיו הרעים כי אין דין עונש הרשעים שוה׳.

i. e. *Et uniuscujuſq; anima punietur ſecundum opera ſua mala judicium enim pœnale impiorum æquale non eſt.*

Porrò ipſaſmet inferni portas noſſe ſatagunt, quot numero ſint, & ubi deprehendantur. Sic citante Ramban in Schaar Hagg. Men. ben. Iſr. loco cit. in Tractatu ערובין ſciſcunt.

שלש׳ פתחים לה׳ לגיהנם אחד במדבר שנ׳ וירדו הם וכל אשר להם חיי׳ שאולה ולגיהנם ירדו. אחד בים דכתיב מבתן שאול שועתי החזירו אותו הדג על מעמקי מצולות ופתח גיהנם ואחד בירושלם שנ׳ נאם יי׳ אשר אור לו בציון ותנור לו בירושלם.

i. e. *Tres portas habet Gehenna unam in deſerto ſicut dicitur: Et deſcenderunt illi & quicquid ipſis erat vivi in abiſſum, at in Gehennam deſcenderunt. Unam in Mari ſicut ſcriptum eſt. Ex ventre abyſſi clamavi. Reſtituit eum piſcis ex profundiſſimis, hæc eſt Porta Geh. Et unam in Jeruſalem ſic. dic. Dictum Jeh. cui eſt lux in Zion, & fornax in Jeruſ.*

R. Jochanan ben Saccai vult portas ejus numero duas eſſe in valle Hinom quod vide apud Ramban loco cit. Mahomet ſeptem portas numerat Surat. 15. verſ. 44.

להא סבעה̇ וכואב לכל באב מנהם גזא מקשום.

i. e. *Ipsi* (Gehennæ) *sunt septem portæ & unaquaq; porta habet suam partem suo modo debito sibi distributam.*

Duplicem etiam Gehennam fingunt Rabb. sicut ex iis habet Men ben. Isr. cap. 2. lib. 1. sub finem ferè.

וכתבו עוד שכמו שיש גיהנם למטה כך יש גיהנם למעלה והוא סוד נהר דינור הנזכר בדניאל שבו מתלבנים הנשמות והזוהמה שלא יכלה הגיהנם של מטה לכלות בגהנם של מעלה תנקה בהחלט·

i. e. *Et amplius scribunt, quod sicut est Gehenna inferior, ita etiam est Gehenna superior. Et hoc est illud Mysterium fluvii* דינור *cujus mentio injicitur apud Danielem, in quo albescunt animæ, & immunditiès quam non potuit Gehenna inferior consumere, in Gehenna superiori purgatur absolutè.*

Animas respectu ignis non esse ἀπαθητὰς plerique Rabb. fide firma tenuerunt, verum rei hujus possibilitatem quæsiverunt alii à parte ignis, alii à parte ipsius animæ simul; Ex priorum numero est Rabbi Schem Tof in libro Nephes hach., ubi multis hanc suam sententiam probare allaborat. Parte sexta sic habet:

אמרנו שהוא אש דק פנימי וחזק יותר משאר אשות ועל דקותו ותוקף גבורתו יש בו יכולת לשרוף כח הנשמות אע״פ שהם דקות בדקותם כי מעלת ז האש הגדולה יותר מהמקום היוצאי הנשמות משם·

i. e. *Diximus esse hunc ignem tenuem internum & vehementem magis quam reliqui ignes, & propter tenuitatem & robur potentiæ suæ vis ei inest comburendi facultatem animarum, quamvis tenues sint ipsæ sua tenuitate, nam gradus hujus ignis magni major est gradu illius loci, ex quo animæ egrediuntur,* &c.

Hæc est sententia illius authoris, quam perperam vindicare conatur, postea adductis eo fine variis traditionibus fabulosis, ut de illo fluvio ex quo animæ egrediantur, qui omnem suam influentiam habeat ex illo igne elementari quem vocat, per quem transeuntes Angeli consumantur stupæ adinstar quanto magis ergo animæ hominum, &c.

Porrò urget multivarias esse species ignis sicut v. g. Ignem Altaris habuisse vim extraordinariam, neque alimento opus habuisse.

buiſſe. Item veteres Res magnas excelſas & ſtupendas aliquando in medio ejus vidiſſe, ut eo tempore quo ſacrificium non gratum fuit D. eos vidiſſe in medio ejus דמורת כלב רובץ אוכל הקורבן *ſimilitudinem canis cubantis & devorantis munus.* Item mentionem facit illius ignis, qui apparuit Moſi in Rubo non conſumto. Item aliam fabulam de Tabulis Legis quæ ſcriptæ fuerint igne nigro ſuper ignem album, hinc quatuor formas ignis ſuperni eſſe dicit: Niger, ruber, viridis & flavus, & unicuique ſuam eſſe facultatem particularem. Hinc concludit:

ועל כן אין לתמו׳ על האש של גיהנם שיש ׳בה כח ׳לאכל רוח במו שאמרנו·

i. e. *Ideò mirandus non eſt ignis Gehennæ quod ei inſit vis conſumendi Spiritum, ſicut diximus.*

Quando Menaſſ. ben Iſr. vult probare animam ab igne pati poſſe, à parte animæ id evincere conatur, id quod integro capite decimo tertio, libr.1. facit, ita ut nihilominus ſingularem etiam vim igni Gehennæ tribuat, in hunc finem ſententiam τῦ Ramban in Schaar Hagg. citat ſummam eorum exhibendo his verbis:

וחכלל העולה מדבריו שהאש שבגהנם שנאמין בה שהיא שורפת הנפשות אינה כמו אש העולם הזה כלל לא האש שמשתמשין בה בגחלת ושלהבת ולא האש היסודית אשר בגלגל האש אלא דקה מורת

i. e. *Et ſumma quæ reſultat ex verbis ejus, quod ignis Gehennæ quem credunt comburere animas, non eſt inſtar ignis hujus mundi, quo utimur per prunas & flammam, neque Ignis Elementaris, qui eſt in vortice ignis, ſed adhuc eo eſt tenuior.*

Item citat ex Rabb. Moſche דיליאון locum quem etiam ha. R. Schem Tof. loco cit. Unde quis poſſet conjicere eundem eſſe Moſen Legionenſem cum R. Schem Tof. Attamen R. Zachut author Juchaſin illos diſtinguit etiamſi fuerint σύγχρονοι p.133. hæc in tranſitu. Ut autem res manifeſta magis fiat nunc

 à parte

à parte animæ monſtrat, quomodo id fieri poſſit, ſic autem compellat lectorem.

ולכן הט אזנך לי ושמע אמרתי כי השורש הזה הוא מסודות התורה ומהדבר' ה' גלה סודו אל עבדיו הנביים ואומר ידוע הוא מדעת הר"שבי ונמשכו אחריו כל המקובלים שכל הנשמות קודם שירדו לזה העולם מתלבשים בגוף ובדיוקן

i. e. *Et ideò inclina aurem mihi, & audi ſermonem meum, nam hocce fundamentum eſt ex Myſteriis legis, & ex illis rebus quarum ſecretum Deus revelavit ſervis ſuis Proph. Et dico, notum eſſe ex ſententia R. Simeon ben Jochai, quem ſequuntur omnes Traditionarii. Quod omnes animæ antequam deſcendunt in hunc mundum indutæ ſint corpore quodam & imagine.*

Gemina his citat ex libro Sohar, &c, Hinc ſummam deducit.

והכלל כי יש גוף דק וכו'

i. e. *Summa eſt, quod eſt corpus tenuè admodum, quo induta eſt anima antequam veniat in mundum, & per hunc ſpiritum formantur omnia membra in imagine ejus, ſed hæc ſunt tenuia ſummo gradu.*

Hujus corporis ſpirituoſi, quod ſupponunt, exiſtentiam & naturam pluribus exponit D. Iſ. Abarb. in libro מפעלות אלהים quod citat Men. ben. Iſr. ſed quia prolixiora ſunt anguſtia pagellarum noſtrarum ea non ferunt.

In hoc conſentientes citantur etiam R. Eliezer German. in Maaſeh Bereſchit Item R. Bechai

Putat ſe hujus ſententiæ præſidium inveniſſe etiam in S. S. Judæus, quando ſic ait.

והוא הצלם הנזכר בנעים זמירות ישר' באמרו אך בצלם יתהלך איש והמפר' פירשו באופנים רבים כי לא ידעו מה הוא והאמת שהוא הגוף הדק הנזכר אשר בו הולך האד' וכו'

i. e. *Et hæc eſt illa imago cujus mentio fit in Pſalmis cum dicitur: etiam in imagine ambulat homo. Et Interpræters explicuerunt illud multi-*

multifariam nescientes quid sit, sed hæc est veritas quod intelligatur illud corpus memoratum in quo homo ambulat, &c.

Concludit sub finem.

סוף דבר הגוף הדק הזה נקרא כפי הר"יא ומפר' אחרים רוח בהיותו נושא לנשמה

i. e. *Summa rei corpus hoc tenuè secundum Abarbanelem & alios Interpretes vocatur* רוח *quia est subjectum animæ.* & paucis interjectis.

ועם זה נחת שקטה קושיתנו יען אמרנו שבנשמ' השכלית לא ישלוט האש הגשמי אם לא באמצעות הרוח הגשמי הדק שהוא מרכבה אליה׃

i. e. *Sicq; solnta est difficultas cum dicimus ignem corporalem non dominari in animam intelligentem nisi mediante Spiritu hoc corporali tenui, qui ejus est vehiculum.*

Hæc est sententia Judæi quam sic satis operosè probare annixus est, minori negotio opus fuisset ad sustinendum sententiam auth. בעל עקרים quam citat ipsemet ab Init. cap. 13. Quæ oppido probabilior est, sic autem ille. Dolor ille & pœna animæ in eo est, quod sicut homo in vita sua secutus est concupiscentiam & res corporales, & avertitur anima ejus à faciendo voluntatem D. bened. assuevit operibus secundum naturam corporis, quod est contra naturam. Ecce autem illa cum separatur à corpore appetit easdem illas res, sicut assueverat, & ad eas inclinat. Nulla autem ipsi sunt media ad eas apprehendendas. Item propter naturam suam inclinat etiam ad adhærendum formis superioribus separatis à materia, easque appetit, ei autem nullum est initium v. doctrina aut habitus in Cultu Dei bened. ideo ad duo latera appetitu suo fertur ad superius & inferius. Et cum ei nulla sint media ad apprehendendum latus inferius nec dispositio ad superius. in hoc est dolor lugendus excedens omnem dolorem hujus mundi, major quam ustio ignis & dolor ex frigore & gelu, major quam scissio cultrorum & gladiorum, & præ morsu serpentum & scorpionum, nec dolor hic occupat nisi animam, non autem quasi ignis ei dominaretur, &c. huccusque verba ejus.

De illa agitatione irrequieta in qua consistere autumant nonnulli Rabbinorum pœnam damnatorum distinctius quid tradit R. Schem Tof, libro sæpius citato, parte tertia.

ונפשות הרשעים רצות לעלות אל המקום ההוא ומפנ, אשר הן חוטאות מעכבות אותן ונוטל אותן גלגל החמ׳ שהוא סובב כל העולם ודוחף ומטלטל אותם בסב׳ כל העולם מעלה ומט׳ ונדחפות עד מלאות להם עונש כדי רשעתן ומביאין ראי מזה הפסוק ואת נפש אויביך וגו׳

i. e. *Animæ impiorum autem volunt etiam ascendere ad locum illum* (beatum de quo modo dixerat) *quia autem peccatrices sunt hinc probibentur illæ, & tunc abripit eas vortex solis qui circumit totum mundum, & eas impellit & hinc inde agitat circa totum mundum sursum & deorsum, sic autem impelluntur usq; dum impleatur eorum pœna secundum impietatem earum, hujus rei argumentum adducunt ex illo versu. Et anima Inimicorum tuorum, &c.*

Hanc sententiam iis quos fabulæ juvant relinquimus, iis astipulamur quæ adjicit author postea ἐπικαιρίως loco.

ואין זה הנכון והדעות חללו הן רחוקות מדרך האמת כרחוק מזרח ממערב׃

De pœnis impiorum & earum duratione æterna ubique docent Arabes, & præsertim Propheta ipsorum. Verè nullum caput est ex centum & quatuordecim quibus conflatus est Coranus, in quo non earum mentio pluribus vel paucioribus fiat. unde etiam ex hoc ipso vitium illud Tautologiæ quod Alcorano à doctis tributum fuit pervidere est, cum eadem sententia toties vel ad nauseam recurrat. Gravitatem earum multis etiam depingit, ut v.g. Surat. 37. quæ inscribitur Acierum, vers. 60. & seqq. Ubi verba facit de arbore quadam infernali quam vocat שגרה אלזקום de hoc dicit :

אנהא שגרה תחרג פי אצל אלגהנם טלעהא כאנה רוש אלשיאטין פאנהם לאכלון מנהאתם אן לחם עליהא לשובא מנ חמים·

i. e.

i. e. *Illa arbor egreditur ex imo Gehennæ, fructus ejus est quasi capita Diabolorum, & ipsi* (impii) *edent de eo: deinde dabitur eis potus aquæ ferventissimæ.* Item Surat. 88. quæ inscribitur *Tegens*, sic dicit: sustinebunt, נארא האמיה *Ignem calidissimum*, potabuntur מן עין אניה *ex fonte ferventi.*

Sic Surat. 69. vers. 29. 30. & seqq. Deus quasi sic alloqueretur Diabolos introducitur.

חדוה פעלוה תם אלגחנם צלוה תם פי שלשלה דרעהא שבעונ דראעא פאשלכוה׃

i. e. *Prehendite eum, & ligate eum, postea in Gehennam ustulandum immittite eum: postea catenâ septuaginta cubitorum constringite.*

Imo ad demonstrandum pœnæ infernalis, tum gravitatem tum æternitatem Suratâ 4. quæ est de Mulieribus dicit: *Comburemus eos igne, & quotiescunque* נצברת גלודהם *imminutæ sunt pelles eorum permutabimus illas aliis novis pellibus*, &c.

Sic porrò Surat. septima, quæ est de loco Araph. vers. 39. Illos ita immersos fore tormentis infernalibus sicut ille qui lecto immersus jacet, hinc dicit:

להם מן גהנם מהאד ומן פוקהם עואש

i. e. *Illis quidem impiis Gehenna erit lectus & supra eos ignis infernalis* (vel erunt illis tegumenta: vox enim hæc Arab. tegumentum etiam sonat.

Singulare quid est quod legitur Surat. octava ubi describitur quomodo Angeli facies & dorsa infidelium percutiant, sic loquitur Pseudopropheta versu 32.

ולו תרי אד יתופי אלדין כפרוא אלמלאיכה יצרבון וגוההם ואדבארהם ודוקוא עדאב אלחריק׃

O utinam videres, cum spiritum emisere infideles, quomodo Angeli percutient facies eorum & dorsa eorum (*dicendo:*) *gustate pœnam ardentis ignis.*

Hæc verba habet etiam Arabscha in Hist. Timuri, ubi agit de morte ejus. pag 317. qui ibidem & alibi vivide suo more pœnas inferorum depingit.

Gradus pœnarum infernalium Mohamed etiam statuit Surat. 3. Ibi

3. Ibi poſtquam dixiſſet eum qui defraudarit cum furto coram judicio ſiſtendum, ibique pro injuſtitia ſua ei perſolutum iri, addit verſu 156. & 157.

ומאויה גהנם וביס אלמציר הם דרגאה̄ ענד אללה׃

i. e. *Et habitaculum ejus erit Gehenna, ò infelicem locum,* (aut abitum) *hi erunt gradus apud Deum,* i. e. gradus diverſi erunt apud Deum. Idem vocabulum occurrit quod gradum ſignificat apud Rabbinos: illi enim utuntur voce מדרגה. Sic ſæpè occurrit in Corano improbioribus repenſum iri צעפין *dupla.* Unde etiam illos, quorum opera bona æqualia ſunt malis (quos Rabbini בינונים vocarent) non in Paradiſo aut Inferno, ſed medio loco Alaraph, quêm סור אלגנה̄ *Parietem Paradiſi:* ſeu medium quid inter Paradiſum & Gehennam vocant: de quo loco Surat. ſeptima agitur: id citatum videſis ſupra. Ex his aliiſque innumeris judicet Lector, quantum tribuendum ſit noſtris, ſententias Mohammedanorum exponentibus: cum non defuerit Theologus, Maccovius, qui in *Theolog. Polem.* auſus eſt ſcribere, negare Mohammedanos Infernum.

F I N I S.

